XXVIII

11. 6. 49.
Digitized by Google

Angioli

N.ro 13360.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
M. AURELII ANTONINI ELAGABALI
TRIBUNITIA POTESTATE V.
DISSERTATIO HISTORICO--CHRONOLOGICA.

AUCTORE

P.D. VIRGINIO VALSECHI
A BRIXIA

Monacho Benedictino Congregationis Caſinenſis.

FLORENTIAE. M.DCC.XI.
TYPIS REGIAE CELSITUDINIS
Apud Jacobum de Guiduccis, & Sanctem Franchi.
Superiorum Permiſſu.

Al P. Lettor Giapetti

REGIAE CELSITUDINI

COSMI III.

MAGNI ETRURIAE DUCIS.

NE caſtioribus Legentium animis, Diſſertationis meae argumento, quod ſceleſtiſſimi, ac omnium

Digitized by Google

non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum (ut Severus eum Alexander in Senatu olim vocavit) impuriſſimi Imperatoris prae ſe nomen fert, primore adſpectu offenſioni fortaſſis eſſem, nil ego conſultius duxi, quam ut illam REGIAE CELSITUDINI TUAE nuncuparem. Ubi enim Praeclariſſimum tuum, idemque Religioſiſſimum Nomen ſpectaverint, nihil enimvero, quod minus ſanctum, minuſve viro ingenuo dignum, pertractari in ea intelligent; imo quantum, e nequiſſimae ejus belluae recordatione, conflatum illi forſan invidiae fuerit, tantumdem profecto, e gratiſſimo Regii Nominis tui conſpectu, amoris eidem, & aeſtimationis accedet. Non is itaque ſum, qui de perditiſſimi Imperatoris perditiſſimis moribus, *qui ne dici quidem*, Lampridio teſte,

ſine

ſine maximo pudore poſſunt, eloqui, velim; ſed de aliquot tantum ejuſdem antiquis Numiſmatis, quae non levia Chronologicae Rei, ac Sacrae etiam tertii Chriſtiani ſaeculi Hiſtoriae, afferre incommoda, Viris doctis perſpectum eſt, diſſerendum. Horum alterum, non vulgare illud quidem, mihi, in ſplendidiſſimo REGIAE TUAE CELSITUDINIS Cimeliarchio videre, licuit; licuitque, incredibili animi voluptate, eximias tuas, id genus, opes luſtrare, iis honeſtiſſimis deliciis frui, ac ſingularem cum primis Regii animi tui Magnitudinem, qua luculentam ceteroqui, a Majoribus tuis, FRANCISCO, & FERDINANDO ejus fratre, Magnis Ducibus, & LEOPOLDO Cardinali, congeſtam, veterum nummorum ſupellectilem, mira, praeſtantique

que tredecim millium, & trecentorum ex Hiſpania adductorum numiſmatum acceſſione locupletaſti, ac quo pretioſa eadem venerandae Antiquitatis monumenta, non ditiſſimi Muſei ſplendori tantum, & ornamento, ſed vel communi Eruditorum bono inſervirent, percommodis illa, iiſque elegantiſſimis, ex Indico ligno confectis, ſcriniis, praeclaro ordine, incluſiſti, non ſine ingenti admiratione contueri: quo palam ſane omnibus factum, Te non publicae ſolum Etruriae Tuae, omni cura, ſtudioque, maxime vero inſigni tua in Deum, a quo, quae vere bona, manant omnia, pietate, incolumitati conſulere, ſed univerſae literatorum Reipublicae (quae avita Regalis Tuae Stirpis, ad politiores omnes facultates promovendas, divino conſilio natae, laus eſt) miri-

mirifice etiam utilitati incumbere. Patere igitur REGIA CELSITUDO, ut mea haec qualiſcunque lucubratio in lucem, ampliſſimis tuis ſub Auſpiciis, prodeat, ac quam, e ſua tenuitate, minime ſperare ea poteſt commendationem, illam ab Auguſto Tuo Patrocinio nanciſcatur. Neque enim, COSME Clementiſſime, vereor, quin me, atque hoc, exiguum licet, obſequii erga te mei monumentum, quod humili quidem, candidoque animo exhibeo, ea, qua ſumma polles, benignitate ſis excepturus; quum probe norim, Superos etiam, quorum Ipſe virtutes aemularis, *non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & ſanctitate*, ut Trajano ajebat Plinius, *laetari, gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram, caſtamque mentem, quam*

qui

qui meditatum carmen intulerit. Tu itaque primos hos meos in re literaria labores, hilari, & ſerena fronte, ſuſcipias, longumque Etruriae tuae, & vive, & Vale.

REGIAE CELSITUDINI TUAE

Ex Abbatia Florentina X. Kal. Aprilis. Anno MDCCXI.

Obſequentiſſimus Addictiſſimuſque
D. Virginius Valſechi Monachus
Benedictino-Caſinenſis.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

LIbrum, cui Titulus: *De M. Aurelii Antonini Elagabali TR. P. V Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica*, Auctore P. D. Virginio Valſechi a Brixia noſtrae Congregat. Caſin. Monacho, & in Florentino Monaſterio Sacrae Theologiae, & Sacrorum Canonum Lectore, Reverendiſſimi P. D. Severini a Papia S.Salvatoris Abbatis,& totius praedictae Congreg. noſtrae Praeſidis gener. juſſu diligenter legi; & cum in eo nil repererim, quod editioni ejuſdem obſtet, imo videam difficillimo nodo Chronologico expediendo, qui celeberrimos Scriptores in diverſa traxit, ſubſidio, & Sacrae etiam tertii Chriſtiani ſaeculi Hiſtoriae illuſtrandae, adjumento futurum; ideo publicae utilitati edendum cenſeo, ſi his, quibus id incumbit, rite factum videbitur. In quorum, &c.

Ex Monaſterio S. Petri Mutinae die 19. Feb. 1711.

D. Benedictus a Parma Abbas SS. *Salvatoris, & Cyrini.*

Juſſis Reverendiſſ. P.Praeſidis Congregationis noſtrae Caſin. obtemperans, legi Diſſertationem Hiſtorico-Chronologicam *De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V.*, Auctore P. D. Virginio Valſechi Monacho ejuſdem noſtrae Congregat. Ea ſingulari referta eſt eruditione, nihilque continet, quod a recta fide, morumve honeſtate diſſentiat, quapropter, quantum mea refert, digniſſimam cenſeo, quae typis committatur.

Dat. In Monaſterio S. Johannis Evangeliſtae Parmae die 7. Martii 1711.

D Fortunatus a Mutina Monachus Caſinenſis Philoſophiae Lector.

BInis atteſtationibus ad nos tranſmiſſis, quibus Reverendiſſ. P. D. Benedictus Bacchinus SS. Salvatoris, & Cyrini Abbas, & P. D. Fortunatus Tamburinus Lector Philoſophus Nobis perſpicue comprobant, opus *De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V.*, *Auctore P. D. Virginio Valſechi a Brixia* Congregationis noſtrae Benedictino-Caſinenſis Monacho, & in Florentino Coenobio Sac. Theologiae, & Sac. Canonum Lectore, omnino Orthodoxae Fidei, boniſque moribus fore conſonum, ac mira eruditione, praeſertim veteri, ita elucubratum, ut Viris doctis quoque ſit profuturum; ideo, ut typis mandetur, ſi ceteris, ad quos ſpectat, libuerit, & nos harum ſerie, Auctorem facultate donamus.

Dat. Papiae in S. Salvatoris die 17. Martii MDCCXI.

Loco ✠ Sigilli. *D. Severinus a Papia Abbas, & Praeſidens.*

D. Joh. Gaſpar Beretta V. Cancell.

Imprimatur.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

De mandato Reverendiſſ. P. Inquiſitoris Gen. S. Officii Florent. Librum hunc inſcriptum: *De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V.* perlegi; ac quum nihil, quod vel a Fidei Catholicae puritate, vel a bonis moribus abſonum ſit; in eo deprehenderim, imo eximiam, ſolidamque docti Auctoris eruditionem, qua implicatiſſimae rei plurimum is lucis attulit, admiratus ſim, quammaxime dignum, qui typis mandetur, illum cenſeo.

Dat. Florentiae hac die 15. Aprilis 1711.

Folcus Antonius Maria Portinari Canon. Flor. & S. Off. Conſ.

Attenta ſuperiori relatione, Imprimatur.

F. Stephanus Bernard. Frachia Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Flor.

Philippus Bonarota Sen. R. C. Aud.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Veterum Scriptorum diſſenſio, quoad annos Imperii Elagabali. Antiquae Lapidum Inſcriptiones invicem contrariae. Nummi Elagabali TR. P. V., quemadmodum Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae ejus uxorum L. E. obſignati. Variae Recentiorum, de iiſdem Elagabali annis, opiniones. Diſſertationis argumentum, & ordo in ea ſervandus.

CAPUT II.

Adſtruitur Sententia Dionis pro tempore Imperii Macrini, & Elagabali. Exponuntur textus Lampridii, & Eutropii, qui Dioni videntur contrarii. Aliud teſtimonium Lampridii pro Natali Alexandri Dioni contrarium. Pagii pro Dionis, & Lampridii concordia obſervationes

Digitized by Google

refelluntur. Philippi Bonarotae de eodem Natali Alexandri opinio. Textus Lampridii fortaſſe depravatus, & quomodo corrigendus. Tillemontii ſuper eadem re conjectura expenditur, & confutatur.

CAPUT III.

Refellitur Mediobarbi, & Vaillantii opinio de tempore necis Elagabali. Germanica Maximini Victoria quo anno habita. Gordianus Africanus nuncupatus Imperator poſt inchoatum tertium annum imperii Maximini. Maximinus quartum annum imperii libavit. Philippi Bonarotae, de notis SC. in nummis ſcalptis, ſententia. Quo tempore interfectus Maximinus. SS. Pontianus, & Hippolytus primo anno imperii Maximini paſſi. Maximini initium perperam a Dodwello conſignatum. Nummi Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae cum L. E. non ſatis, nec juxta Mediobarbi ſententiam, explicati.

CAPUT IV.

Proponitur prior Antonii Pagii, quam ipſe poſtea deſerit, praeſentis difficultatis ſolutio.

Reji-

C A P I T U M.

Rejicitur alia ejuſdem Pagii ſolutio. Nummi ad Proceſſus Conſulares ſpectantes, non eſt neceſſe, ut ſint cuſi Kalendis Januariis, quibus Conſulatus ſuſcipiebatur. Dio perperam a Pagio pro ſua obſervatione allegatus. Expenduntur exempla, in confirmationem ſententiae Pagii, a Philippo a Turre Adriae Epiſc., in Epiſtola ad Joh. Anton. Aſtorium, allata. Opinio ejuſdem, de nummis Anniae Fauſtinae, poſt Elagabali necem, percuſſis. Nummus Anniae Fauſtinae P. Chamillardi adulterinus.

C A P U T V.

Nicolai Toinardi conjectura pro nummis, in quibus plures anni, quam Imperatores regnarint, a Pagio relata, & rejecta. Conqueritur Toinardus, non omnino bene fuiſſe a Pagio eandem recitatam. Vera Toinardi obſervatio ex titulo Libelli, quem pollicitus fuerat, exſculpta; & alia via confutata. Non abſimilis Petavii obſervatio proponitur, & refutatur. Aliae Pagii, & aliorum, ſimilium difficultatum ſolutiones eliduntur.

C A-

CAPUT VI.

Proponitur Conjectura Auctoris, & pluribus ſuadetur. Elagabalus e Faſtis anni V. C. DCCCCLXXI. nomen Macrini eraſit. Ex alio Lapide inſcripto Ann V. C. DCCCCLXX. idem nomen Macrini detritum. Nummi Corneliae Paulae L. Γ. & L. Δ. *obſignati explicantur. Nummi Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae L. E. notati recte, juxta Auctoris ſyſtema, declarantur. Dionis, & Herodiani concordia pro annis imperii Elagabali. Oroſius initium Elagabali conſignat Anno V. C. DCCCCLXX.*

CAPUT VII.

Diluuntur difficultates, quae praejactum ſyſtema videntur evertere. TR. P. ſine nota numerali, non indicat primam Tribunit. Poteſt. Nummus Elagabali apud Mediobarbum ſignatus TR. P. II. COS. III. perperam deſcriptus. Inſcriptio Gruteriana in qua Elagaba-

lus dicitur TR. P. IIII. COS. IIII. mendoſa. Refertur eadem Inſcriptio a Suareſio ſub nomine Septimii Severi. Agathias annum IV. Severi Alexandri copulat cum anno Seleucidarum Alexandreo DXXXVIII. Diverſitas inter priores libri Machabeorum, & libri poſterioris Scriptores, in annis deſignandis, quomodo ab eruditis concilietur.

Digitized by Google

DE M. AURELII ANTONINI ELAGABALI TR. P. V.

DISSERTATIO HISTORICO-CHRONOLOGICA.

UT nulla pro re Chronologica firmiora, atque illuſtriora argumenta, quam quae ex antiquis Numiſmatis, vetuſtiſque Inſcriptionibus eruuntur, proferri queunt; ita nihil illam permiſcere magis, atque implicare, perſpectum eſt, quam ſi quae ejuſce generis pugnantia inter ſe monumenta reperiantur. Hinc nulla incerta magis, magiſque labefactata Chronologiae pars eſt, quam quae tertii Aerae Chriſtianae Saeculi. Siquidem pro definiendis nonnullorum illius aevi Auguſtorum Imperii annis, haud veteres Scriptores modo diſſident inter ſe, verum vel ipſa eorumdem Imperatorum Numiſmata, ipſique antiquitus inſcripti Lapides invicem ſibi adverſari conſpiciuntur. Non ea mens eſt, ut hoc loco ſingula, quae illorum temporum rationem involvunt, quaeque mire Chronologos torquent, capita percenſeamus. Unum dumtaxat adnotare hac in re Chronologorum ſcopulum lubet, unamque, quae in M. Aurelii Antonini Elagabali Imperio deprehenditur, difficultatem proponere. Ex ea

 quip-

quippe magna ex parte illorum temporum ſeriem labefactari, compertum eſt; nam quemadmodum uno ſemel admiſſo errore, alii, atque alii ſaepenumero exinde enaſcuntur, ita e perturbata unius Imperatoris aetate plurium etiam inſequentium Imperatorum perturbari annos, neceſſe eſt. Pro ea difficultate ſolvenda, nonnulla ipſe quidem, expendendi cujuſdam Numiſmatis occaſione, obſervaveram; Quae quum Clariſſ. & Reverendiſſ. e noſtris Viro P.D. Benedicto Bacchinio, ſingulari Sacrae noſtrae Familiae ornamento, communicaſſem; ac pertimeſcerem, ne in me ſalebris hujuſmodi pervincendis parum idoneum, inſtructumque Theocriti illud occineret:

Εἰς ὄρος ὄχ᾽ ἕρπης μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε, (a)
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοιτε ϗ ἀσπάλαθοι κομόωντι.
Batte, cave nudis pedibus perrepere montem,
Quippe rubis, tribuliſque viret mons undique ſeptus,

is contra pro ſua in me benevolentia, obſervationes meas laudavit, perutile pro implexa adeo illorum temporum Chronologia inventum illas eſſe, teſtatus eſt, meque ſemel iterumque, ut peculiarem hac de re Diſſertationem conſcriberem, evulgaremque, commonuit. Porro non is ego ſum, qui meas haſce conjecturas pro invictis argumentis velim obtrudere. Conjecturis autem, ſi qua in re, in hac certe contenti ſimus, neceſſe eſt. Si quid vero, quum aliorum ſententias refello, gravius ipſe fortaſſis peccaverim, inque alienis me cernere acutum, mea autem oculis inunctis pervidiſſe, compereris, ignoſcas rogo, ſciaſque:

Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium, (b)
Aliena melius ut videant, ac judicent
Quam ſua. An eo ſit, quia in re noſtra aut gaudio
Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?

(a) *Theocr. in* Νομεῦσι. (b) *Terent. in Heautontim. act. 3. ſc. 1.*

CAPUT I.

Veterum Scriptorum diſſenſio quoad annos Imperii Elagabali. Antiquae Lapidum Inſcriptiones invicem contrariae. Nummi Elagabali TR. P. V., *quemadmodum Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae ejus uxorum* L. E. *obſignati. Variae Recentiorum, de iiſdem Elagabali annis, opiniones. Diſſertationis argumentum, & ordo in ea ſervandus.*

DIo Caſſius ejuſdem, qua vixit Elagabalus, aetatis Scriptor, quum lib. LXXVIII. pag. 905. ex editione Hanovienſi, Macrinum *anno uno, duobuſque menſibus, tribus demptis diebus* Romano praefuiſſe orbi, edocuiſſet; Antoninum Elagabalum lib. inſequenti pag. 907. *annos tres, menſes novem, & dies quatuor, regnaſſe, tradit*: additque, tempus illud ſe dinumerare, ἀπὸ τῆς μάχης, ἐν ᾗ τὸ παντελὲς κράτος ἔσχεν, *a proelio, quo* Macrino devicto *poteſtatem omnem adſequutus eſt*. Herodianus ejuſdem aevi pariter Scriptor, uno dumtaxat Imperii anno Macrino, lib. v. cap. II. & III. adtributo, Elagabalum eodem lib. cap. VI. *ſexennium* regnaſſe, ſcribit. *Antoninus*, inquit, *ſexennium Imperio occupato, vitaque, ut diximus,*

Digitized by Google

mus, acta, ſimul cum matre occiſus eſt. Euſebius lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Cap. XXI. Herodiano quidem quoad tempus Macrini conſentit; at tum ab illo, tum ab Dione diſſentit, quoad tempus Imperii Elagabali, quum ἐπὶ τέταρσι μόνοις ἔτεσιν *quatuor dumtaxat annis*, regnaſſe eum tradat. Euſebio concinit Oroſius Hiſtor. lib. VII. cap. XVIII. Caſſiodorus in Chronico, Nicephorus Calliſtus lib. V. cap. XVII., quamvis de Macrino hic poſtremus ſcribat, quod *nondum integro exacto anno* fuerit extinctus. Lampridius, & Eutropius Macrino annum quidem unum, duoſque menſes adſcribunt, at Elagabalo neque ſolidum triennium tribuere videntur. *Mirum fortaſſe*, ait Lampridius Conſtantinum Imperatorem alloquens in vita Heliogabali cap. XXXIV., *cuipiam videatur, Conſtantine Venerabilis, quod haec clades, quam retuli loco Principum fuerit, & quidem* PROPE TRIENNIO; *itaut nemo inventus fuerit, qui iſtum a gubernaculis Romanae majeſtatis abduceret &c.* Eutropius vero lib. VIII. de eodem Elagabalo ſic ait: *Is cum Romam ingenti & militum, & ſenatus exſpectatione veniſſet, probris ſe omnibus contaminavit. Impudiciſſime, & obſceniſſime vixit:* BIENNIOQUE POST, ET OCTO MENSIBUS, *tumultu interfectus eſt militari.* Ab his haud multum diſcrepare videntur uterque Victor, quorum prior oppreſſum Elagabalum tradit *trigeſimo Regni menſe*, alter vero imperaſſe ſcribit *biennio, & octo menſibus*. Verum duos priores ſcriptores Dioni conſentire, infra oſtendemus. In Imperatorum quoque Romanorum, & Conſtantinopolitanorum ſerie Chronologica, quam e Palatinae Bibliothecae Libro περὶ Ἀρχαιότητος τῆς Κωνςαντινουπόλεως in lucem extulit Fridericus Sylburgius in fine Romanae Hiſtoriae

Scri-

Scriptorum Graecorum Minorum, Macrino duo anni Imperii tribuuntur, totidemque Avito, ſeu Elagabalo, ubi tamen Scriptoris errore, de quo adpoſito aſteriſco monemur, deſcribitur priori loco Elagabalus, poſteriori vero Macrinus. Haec enim eo catalogo habentur:

* Ἄβιτος ἐβασίλ. ἔτη β.
Μακρῖνος ἐβασίλ. ἔτη β.
Avitus imperavit ann. II.
Macrinus imperavit ann. II.

Alium eodem loco Chronologicum Imperatorum Catalogum profert, Sylburgius, in quo omiſſo Macrino ſic de Elagabalo legitur:

Ἀντωνῖνος ἄλλος. δ.
Antoninus alius. 4.

Cui quidem conſonant alii duo a Dodwello in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas editi, in quibus, nulla pariter habita Macrini ratione, anni δ. *quatuor* eidem Elagabalo adſcribuntur.

Hae variae quidem veterum Scriptorum de Antonini Elagabali Imperii annis ſententiae; at non praecipuum Chronologorum id opus, aut labor. In Canone Paſchali S. Hippolyti Graece inſcripto in marmorea ejuſdem, ut videtur, Hippolyti Cathedra, quae anno 1551. in agro Verano extra muros Urbis inventa, a Marcello poſtea II. P. M., quum adhuc Cardinalis eſſet, Vaticanae Bibliothecae illata fuit, haec primum leguntur:

ΕΤΟΥϹ .Ā. ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΕΓΕΝΕΤΟ .Η. Δ̄Ι. ΤΟΥ ΠΑϹΧΑ ΕΙΔΟΙϹ ΑΠΡΕΙΛΙΑΙϹ ϹΑΒΒΑΤω ΕΜΒΟΛΙΜΟΥ ΜΗΝΟϹ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ

Anno I. imperii Alexandri Imperatoris facta eſt XIV. Pa-

Paſchae Idibus Aprilis Sabbato, quum menſis Emboliſmaeus fuiſſet &c. Hunc annum, extra omnem aleam eſt, fuiſſe V. C. DCCCCLXXV. Epochae vero vulgaris Chriſti 222. quum eo anno Idus Aprilis in Sabbatum inciderint, Cyclo Solis VII. Lunae XIV. Lit. Domin. F., Lunaque XIV. Paſchalis ſeu Martii eo ipſo die ſcilicet XIII. Aprilis contigerit. Egregio hoc antiquitatis monumento, quo aerae Chriſtianae initium perperam a Baronio ab anno V. C. DCCLII. Auguſto Caeſare XIII. & M. Plautio Silvano Coſſ., & a Panvinio ab anno V. C. DCCLIII. Cornelio Lentulo, & L. Calpurnio Piſone Coſſ. ductum, emendatur, annoque V. C. DCCLIV. Cajo Caeſare, & L. Aemilio Paulo Coſſ. conſignandum decernitur; ſatis etiam ſuperque finis Imperii Elagabali, & Severi Alexandri initium ante Idus Aprilis ejus anni V.C.DCCCCLXXV. Ch. 222. videtur definiri; quod Dionis ſententiam mirum in modum confirmat. Elagabalus enim Macrinum proelio fudit ſub initium menſis Junii anni V. C. DCCCCLXXI. Quare ſi ab eo tempore *annos tres menſes novem, & dies quatuor* is imperavit, occiſus fuit menſe Martio anni V. C. DCCCCLXXV. adeoque Idibus Aprilis ejus anni Alexander recte potuit Imperator ſupponi ab Hippolyto. Verum en Romanum alium lapidem apud Panvinium lib. II. Faſtorum pag. 254. & Gruterum pag. LXXXV. 2. priori prorſus contrarium.

SERAPI. SACR
IMP. CAES. M. AVREL.
ANTONINVS. AVG.
PIVS. FELIX. COS. IIII.
P . P

A ter-

A tergo.

DEDIC. ID. APR.
IMP. CAES. ANT. PIO. IIII. ET
M. AVR. ALEXANDRO. COS.

Conſules hoc marmore ſcalpti ſunt haud dubie anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. In fragmento enim Conſulari apud Bucherium pag. 247. ut obſervat etiam Em. Noriſius Diſſertat. de numiſm. Impp. Diocletiani, & Maximiani cap. VI. pag. 45. ponuntur *Antoninus* IV. *&* *Alexander* cum nota *Mar.* qua innuitur Kalendas Januarias illius anni die Martis contigiſſe, qui eſt evidentiſſimus character anni Ch. 222. Cyclo Solis VII. Lunae XIV. Lit. F. Quare eodem anno, menſe, atque die, quo in Laterculo Hippolyti imperare Alexander ſupponitur, Elagabalus eo in lapide viſitur, Serapidi templum dedicaſſe.

Accedunt Latini plures ejuſdem Elagabali nummi Tribunitia illius Poteſtate V. ſignati, quorum aliquot recitat Goltzius in Theſauro Rei Antiquariae, duos, argenteum ſcilicet unum, & aereum alium Adolphus Occo, alios duos, unum pariter argenteum, & alium aereum Mediobarbus, unumque argenteum Vaillantius; quibus e Muſeo Mediceo adjiciendus eſt alius aereus, cujus ectypum in fine Capitis V. afferemus. Elagabalus, Imperium & Tribunitiam Poteſtatem primum ſuſcepit menſe Junio anni V. C. DCCCCLXXI. quo, ut ſupra diximus, in fugam Macrinum conjecit: aut, ſi mavis, τῇ τοῦ Μαΐου ἑκκαιδεκάτῃ *die ſextadecima menſis Maii* ejuſdem anni, qua, ut ait Dio apud Xiphilinum, a militibus in Phoenicia acclamatus fuit Impera-

pera-

perator; unde ſi menſe Martio anni V.C. DCCCLXXV. juxta Dionem, atque ante Idus Aprilis juxta Hippolytum interfectus fuiſſet, eumque Alexander excepiſſet, nulla proculdubio ratione Tribunitiam Poteſtatem V. is attigiſſet. Praeter laudatos Elagabali nummos Trib. Pot. V. notatos, extat apud Vaillantium in nummis Graecis nummus Anniae Fauſtinae, quae fuit tertia, ut alias dicemus, ipſius Elagabali uxor, L. E. *anno quinto* imperii conjugis inſcriptus, uti alter Juliae Aquiliae Severae, ſecundae quidem Elagabali uxoris, ſed ad quam jamdiu dimiſſam, poſtquam ſcilicet *aliam poſt, deinde aliam, atque aliam*, ut ait idem Dio, duxiſſet, is tandem rediit, eodem quoque L. E. *anno quinto* obſignatus.

Ex his tam variis, ac diſcrepantibus tum veterum Scriptorum, tum antiquarum Inſcriptionum monumentis, variae itidem ac diſcrepantes recentiorum ſententiae emerſerunt.

Jacobus Oiſelius in Theſauro ſelectorum numiſmatum antiquorum pag. 32. Herodiano prorſus ſubſcribit. *Occiſus*, inquit de Elagabalo loquens, *a militibus poſt ſexennium fere, ut Herodianus ſcribit, quam Imperium nactus fuiſſet*. Triſtanus in Hiſtor. Impp. tom. II. Comment. xx. pag. 327. quum ex Graeco Elagabali nummo L.Δ. *anno quarto* inſcripto concludi adnotaſſet eum Imperatorem, ſi quatuor revera annos haud imperavit, annum quartum ſaltem libaſſe; ſubjicit, ex nummo praeterea a Goltzio recitato, ſignatoque TR.P.V., ſi probatae fidei is ſit, deprehendi, quintum etiam Tribunitiae Pot. annum, eum inchoaſſe, magiſque proinde veritati acceſſiſſe Herodianum, qui ſex illi annos adſcribit; quum praeſertim credi haud facile poſſit, eum

exi-

exiguo adeo tempore, quemadmodum ceteri Hiſtorici ſentiunt, vixiſſe, ſi probe quae ab illo geſta, quaeque ab eodem ſex fuere celebrata conjugia, perpendantur. Carolus etiam Patinus in Impp. Rom. Numiſm. ex aere med. & min., quum pag. 328. vitae & regni Elagabali annos incertos eſſe, aſſeruiſſet, pag. poſtea 331. exhibitis Graecis ejus Imperatoris Numiſmatis Δ. E. inſcriptis, inquit nummos illos Herorodiano favere, qui Elagabalum ſex annos imperaſſe aſſerit, quum Δ. & E. annum quartum, & quintum ſignificent. Hallucinatur hic quidem Cl. Patinus, quum notas illas Δ. E. ſimul junctas, quae Δημαρχικῆς ἐξουσίας ſignificant, annum quartum, & quintum, autumat, deſignare; at extant revera alii nummi, qui, ut ſupra viſum, quinto imperii Elagabali anno inſcribuntur.

Franciſcus Mediobarbus in Impp. Roman. Numiſm. pag. 309. relicta hac in re Adolphi Occonis, cujus numiſmata illuſtrat, adaugetque, Dioni conſona opinione, Elagabalum cenſet *annos quatuor, & menſibus aliquot* imperaſſe; traditque Anno V. C. 971. Ch. 218., eum Auguſtum, P. M., Tr. P., Imp., Coſ. Deſ. ab exercitu dictum fuiſſe A. D. *Idus Aprilis*, & A. D. VII. *Idus Junii* occiſo Macrino ſolum imperaſſe: pag. vero 313. Anno V. C. 975. Ch. 222. eum docet menſe Septembri occiſum fuiſſe.

Joannes Vaillant in Numiſm. Impp. praeſtant. tom. 1. de Roman. aereis pag. 135. ex poſtrema editione, Dioni quidem ſententiae accedit, quum eo loci Elagabalum ſcribat a militibus *poſt annum tertium* fuiſſe interfectum; at in Nummis Graecis pag. 289. ex editione Amſtelaedamenſi, priori ſententia abjecta, Mediobarbum om-

nino ſequutus eſt. Ibi enim de Urbibus diſſerens, in quibus Epochae, recitatis tribus Elagabali nummis a Tripolitis, qui aera Seleucidarum utebantur, percuſſis, eorum poſtremum ſignatum annò ΓΛΦ. 533., cuſum dicit fuiſſe ab Autumno V. C. 974. uſque ad Autumnum anni V. C. 975. *anno Elagabali quarto, & quinto excurrente*, additque Elagabalum *menſe Septembri* ejuſdem anni occiſum fuiſſe; quum paullo ante tradidiſſet, eum A. D. *Idus Aprilis* V. C. 971. imperium arripuiſſe: quae eſt ipſiſſima opinio Mediobarbi.

Huic ſyſtemati perquàm facile aſſentiunt, ſuumque lubentiſſime calculum addunt recentes fere omnes Antiquarii, quum de ſupradictis Elagabali nummis TR. P. V. notatis res agitur. Id enim pridem expertus ſum, quum bellum egregio cuidam Numiſmati, non ea quidem epigraphe, ſed alia epocha inſignito indixiſſem; quo in certamine plures eximios, praeſtanteſque viros mihi adverſantes nactus ſum, acerrimos Mediobarbi ſententiae aſſertores.

His porro omnibus laudatis Scriptoribus reluctantur alia ex parte omnes propemodum Chronologi, qui uno ore Dioni, hac in re, eſſe plane acquieſcendum, pronunciant. Inter hos Onuphrius Panvinius, Em. Baronius, Calviſius, Petavius, Noriſius, Pagius, aliique Viri ingenio, & eruditione praeclariſſimi; ne quid dicam de Johanne Baptiſta Egnatio, qui in Vit. Romanorum Princ. lib. 1. Elagabalum *per duos annos & amplius* regnaſſe, dumtaxat ſcribit, & de Cl. Equite Paulo Alexandro Maffei, qui in elegantiſſimo opere nuper Italice edito De Gemmis antiquis figuratis par. 1. pag. 60. eum annos ſolummodo duos & menſes octo, quae eſt Victoris Junioris Sententia, tradit imperaſſe.

Ab

Ab eo tot Doctiſſimorum Virorum judicio diſcedere, haud leve ſane piaculum fore, arbitrarer; verum, ut ingenue, quod ſentio, eloquar, obſtat adhuc, vigetque e ſuperius recitatis nummis petita difficultas, quam, ſi veritatem amemus, nondum ab eorum quopiam ſublatam eſſe, fatendum eſt. A pleriſque enim illorum de ea ne γρυ quidem dictum; ab aliis vero ſi quid diſputatum, nihil tamen, quod rem plene dirimat, abſolvatque, hactenus propoſitum. Mediobarbi autem opinioni, qua aliquo modo ſatis iis Numiſmatis fit, lubens quidem ipſe acceſſiſſem; at praeterquamquod haud ſatis firmam eam deprehendi, plurima quoque, ac praeſertim nonnulla inſequentium Imperatorum Numiſmata, marmoreaeque Inſcriptiones, quibuſcum id minime ſyſtema conſentit, vetuere. Accedit, quod ex eadem Mediobarbi ſententia, ut cap. III. oſtendemus, haud temnenda etiam cietur lis adverſus Sanctiſſimos Martyres Pontianum Epiſcopum, & Hippolytum Presbyterum, qui in Catalogo veterum Pontificum Romanorum a Bucherio V. C. in Comment. de Doctr. Temp. pag. 269. publicato, exules deportati leguntur in inſulam nocivam Sardiniam, Severo & Quinctiano Coſſ., ideſt anno aerae vulgaris CCXXXV., primoque Imperii Maximini: ipſeque Sanctus Pontianus eodem anno, eademque Inſula *diſcinctus* dicitur IV. *Kalendas Octobris;* quo certe tempore, juxta ipſum Mediobarbi ſyſtema, nullo pacto invicti ii Martyres Maximini perſequutioni obnoxii eſſe, potuiſſent. His ego difficultatibus actus quum rem maturius perpenderem, nonnulla animum ſubiere, quae lucem aliquam iſtiuſmodi diſputationi afferre, praeque dictam Dionis ſententiam, cui omnes Chronologi adhaerent, cum laudatis Nu-

miſmatis haud incommode conciliare, viſa ſunt. Haec porro eruditis Viris exponere, aggreſſus impraeſens ſum; Quod ut aptius exequar, ipſam primum Dionis ſententiam firmare, Mediobarbi deinde opinionem, quae recentibus Antiquariis adeo arridet, convellere, Antonii poſtea Pagii, aliorumque hujuſce difficultatis ſolutiones elidere, ac demum quid ſenſerim ipſe, explanare, in animo propoſuimus.

CAPUT II.

Adſtruitur Sententia Dionis pro tempore Imperii Macrini, & Elagabali. Exponuntur textus Lampridii, & Eutropii, qui Dioni videntur contrarii. Aliud teſtimonium Lampridii, pro Natali Alexandri, Dioni contrarium. Pagii, pro Dionis, & Lampridii concordia, obſervationes refelluntur. Philippi Bonarotae de eodem Natali Alexandri opinio. Textus Lampridii fortaſſe depravatus, & quomodo corrigendus. Tillemontii ſuper eadem re conjectura expenditur, & confutatur.

HAud multum morari nos debet Herodiani, aliorumque ſupra memoratorum Scriptorum a Dione, quoad tempus Imperii Macrini, diſſenſio. Siquidem

dem Dionis ſententia, qua ille *anno uno, duobuſque menſibus, tribus demptis diebus* regnaſſe, decernitur, praeterquamquod confirmatur a Capitolino in vita ejuſdem Macrini cap. VIII. ubi *anno amplius* is imperaſſe affirmatur, a Lampridio in vita Antonini Diadumeni cap. VIII. ubi ipſe Diadumenus *quartodecimo menſe imperii* interfectus fuiſſe cum Patre legitur, ac demum ab Eutropio lib. VIII., qui Macrini, & Diadumeni Imperium *duorum menſium, & unius anni* fuiſſe ſcribit, adſtruitur etiam plurimis ejuſdem Macrini Latinis Numiſmatis ab Occone, & Mediobarbo recitatis, in quibus viſitur Tribunitia illius Poteſtas II., nec non aliquot Graecis a Vaillantio laudatis, quibus ET. B. annus ejus Imperii II. exhibetur.

Dionem itaque tum in hac, cum in aliis, quae aetate ſua geſtae ſunt, rebus, ceteris Scriptoribus praeferendum eſſe, non ambigimus. Ipſe ſiquidem eorum temporum hiſtoriam perdiligenter ſe fore ſcripturum, pollicétur; eaſdemque res nulli melius, quo poſteris traderentur, perſpectas atque ſibi fuiſſe, profitetur. *Itaque cetera* (inquit apud Xiphilinum in Commodo) *accuratius, diligentiuſque perſcribam quam ſuperiora, partim quod ego eis interfui, partim quod illa nemini eorum, qui aliquid memoria dignum poſſunt ſcribere, melius quam mihi cognita eſſe putem*. Imo quum ad Imperium Alexandri is deveniſſet, quo tempore Romae non diu commoratus eſt, ac in morbum incidit, & variis extra Italiam Praefecturis diſtentus fuit, ingenue fatetur, ea quae tunc temporis acta fuere, ſe perſequi eadem diligentia non potuiſſe, qua jam ſuperiora deſcripſerat. *Ceterum* (inquit in Alexandro) *ea, quae ſupra dicta ſunt, ego quidem accurate diligenterque conſcripſi,*

ſcripſi, ut potui; quae vero reſtant, mibi non licuit perſequi pari diligentia, quod Romae non ſum diu commoratus, quodque in morbum incidi, quum ex Aſia in Bithyniam veniſſem, ex qua profectus ſum ad Imperium Africae: poſt ubi reverti in Italiam pene recta in Dalmatiam, atque inde in Pannoniam ſuperiorem miſſus ſum, ut eis praeeſſem &c. E quibus elucet, quanta fides in horum temporum hiſtoria Dioni adhibenda ſit, quantumque ejus auctoritati tribuendum.

Neque igitur quoad annos imperii Elagabali a Dionis ſententia abſcedendum. Ab eo etenim non ſolum, anni, ſed vel menſes, ac dies ſedulo exacteque adnotantur, tempuſque praeterea indicatur, a quo eoſdem ipſe annos numeravit. *At in alias omnes* (inquit de Elagabalo lib. LXXIX. pag. 907.) *turpiſſimas, maximeque flagitioſas, & ſanguinarias actiones uſqueadeo exorbitavit: ut pleraque nunquam admiſſa Romae, non aliter illic atque in patria viguerint; alia ſcelerato auſu ab aliis atque aliis tentata, totos* AD TRES ANNOS, ET NOVEM MENSES, ET DIES QUATUOR, *quod in Imperio tempus exegit numerandum a proelio, quo poteſtatem protinus omnem adſequutus eſt, floruerint.* Idem tradunt Xiphilinus in ipſius Dionis Epitome, Zonaras, & Michael Glycas par. III. Annal., qui tamen dies illos quatuor praeterit.

Dioni autem adprime etiam conſentire Lampridium, & Eutropium, quamvis ceteroqui diſcrepare ab illo videantur, jam animadvertimus. Eorum verba ſupra a nobis cap. I. allata refricare, hic liceat. *Mirum fortaſſe videatur* (ait Lampridius in vit. Heliog. cap. XXXIV.) *quod haec clades quam retuli loco principum fuerit, & quidem* PROPE TRIENNIO, *itaut nemo inventus fuerit,*

rit, qui iſtum a gubernaculis Romanae Majeſtatis abduceret, &c. Eutropius vero: *Creatus eſt poſt hos Marcus Aurelius Antoninus. . . . Is quum Romam ingenti & militum & ſenatus exſpectatione veniſſet, probris ſe omnibus contaminavit. Impudiciſſime & obſceniſſime vixit* BIENNIOQUE POST ET OCTO MENSIBUS *tumultu interfectus eſt militari*. Cave itaque ſis, ne hinc colligas, Lampridium, & Eutropium Elagabalo nec ſolidum imperii triennium, ut recentes Scriptores communiter ſentiunt, tribuiſſe. Siquidem advertamus neceſſe eſt, Elagabalum non ſtatim ac ſumma rerum e Macrini caede potitus eſt, Romam adventaſſe, ſed e Syria reducem Nicomediae, ob anni tempeſtatem, hiberna egiſſe. *At vero Antoninus* (ait Herodianus lib. v. cap. v.) *e Syria profectus Nicomediae hiemavit, ita poſtulante anni tempore*. Cujus quidem rei meminit etiam Lampridius in vit. ejuſdem Elagabali cap. v. & Dio pag. 909.; imo ex eodem Dione pag. 908. colligi quoque videtur, neque ſtatim poſt ipſa hiberna Elagabalum Nicomedia exceſſiſſe, ſed aliquantulum etiam ibidem poſt commoratum. Diſerte etenim eo loco aſſerit Dio, quod Elagabalus Syllam, qui cum imperio Cappadociae praefuerat, & Provincia tunc abierat, ideo morte mulctaverit, quod is *in pleriſque curioſus eſſet, & Roma juſſu ejus accerſitus Germanicis militibus occurriſſet, qui domum* POST HIBERNA, *quae in Bithinia habuerant, turbis illic nonnullis excitatis redibant*. Pag. etiam 909. plures turbas Dio recenſet adverſus Elagabalum, quum in hibernis Nicomediae ageret, obortas, quas ut ipſe reſtingueret, ſuumque Regnum plane confirmaret, neceſſe videtur, ut iis in locis aliquanto poſt eadem hiberna, ſubſtitiſſet. Quare quae Lampridius cap.

xxxiv. de clade, quae *prope triennio loco principum* fuit, quaeque Eutropius de foediſſima Elagabali vita, deque illi, *biennio poſt, & octo menſibus*, illata nece, commemorant, a tempore, quo Romam is venit, ſunt intelligenda: Unde ſi ejuſmodi *prope triennio*, ſeu *biennio & octo menſibus*, quibus Romae Elagabalus egit, id temporis addas, quo extra Romam, ſeu Nicomediae, commoratus eſt, annos plane imperii conficies, quos illi tribuit Dio.

Illud tamen pro die, quo in fugam acto Macrino, Elagabalus regnare coepit, & quo ipſe demum Elagabalus tumultu militari occiſus eſt, ſtatuendo, aliquod, ut ingenue fatear, negocium faceſſit, quod idem Lampridius in Alexandro cap. vi. Senatus acclamationes quibus ipſi Alexandro Antonini, & Magni nomen, poſt ejus inaugurationem, oblatum fuit, recenſens, illas ſe eruiſſe fatetur *ex Actis Urbis A. D. pridie nonas Martias;* quod conſtare cum Dione haud poteſt. Macrinus enim, ut etiam teſtatur Dio lib. lxxviii. pag. 885. (quae tamen Typographi errore notata eſt 887.) Imperium ſuſcepit μετὰ τετάρτην ἡμέραν *poſt quartum*, ab Caracallae interitu, *diem*. Caracalla autem interfectus fuit, juxta eundem Dionem pag. 882., τῇ ὀγδόῃ τοῦ Ἀπριλλίου *octava die Aprilis*. Quare ſi ab die duodecima Aprilis, aut ſi mavis ab die undecima (quod ferre etiam poteſt τὸ, μετὰ τετάρτην ἡμέραν) annum unum, & menſes duos, tribus demptis diebus, quibus Macrinus regnavit, enumeremus, in diem octavam, aut ſeptimam Junii incidemus anni V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218.; quibus ſi deinde adjiciantur anni tres, menſes novem, & dies quatuor, quibus Elagabalus imperavit, haud diem ſextam Martii habebimus anni V. C.

DCC-

DCCCCLXXV. Ch. 222., ſed diem potius undecimam, aut minimum decimam. Pagius in Diſſertat. Hypatica par. II. cap. XII. num. VIII. ſenſerat cum Spartiano in Caracalla cap. VI., Caracallam interemptum fuiſſe die ſexto Aprilis, ac Dionem ab eo ipſo die, a morte nimirum Deceſſoris Imperium Macrini numeraſſe, non vero a die, quo is fuerat electus, *quo etiam modo*, inquit, *ſe geſſit, in annis Severi computandis, quos non a die, quo Carnunto Imperator nuncupatus fuerat, ſed a die emortuali Juliani deceſſoris deducit*. Quare Macrinum proelio victum, & Elagabalum ſummis potitum die tertia Junii anni V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218. decernit, peremptumque Elagabalum ſuſtinet die ſexta Martii anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222., qua die, e Lampridio, cenſet, Alexandrum Severum nuncupatum fuiſſe Auguſtum. Haec in Diſſertat. Hypat. In Critica autem Baroniana quum ad ann. Ch. 217 num. III. Spartiani ſententiam de die obitus Caracallae improbaſſet, eumque cum Dione die octava Aprilis interfectum definiiſſet; ad annum poſtea Ch. 218. num. III., ut Elagabali necem, & Alexandri primordium die ſexta Martii anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. ſartum tectum tueretur, Macrini pugnam nihilominus, & Elagabali initium diei tertiae anni V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218. illigare, non eſt veritus, iterumque aſſerit, *Dionem Macrini Imperium a die mortis Caracallae, octava nempe menſis Aprilis anni ſuperioris, non vero a die undecima ejuſdem menſis, qua Imperator dictus fuerat, numerare*. Atque in hanc rem ruſſus affert exemplum Septimii Severi, cujus annos Dionem dicit *non a die decima tertia menſis Aprilis, qua apud Carnuntum Imperator dictus fuerat, ſed a*

 Ka-

Kalendis Juniis, qua die Julianus interfectus, repetiiſſe. Quia vero a die octava Aprilis anni praecedentis ad diem tertiam Junii anni currentis, non exacte tempus Macrini a Dione ſtatutum interfluit, quum unus adhuc ſuperſit dies, proindeque diei potius quartae ejus menſis illud proelium eſſet tribuendum, & Elagabali tandem mors diei ſeptimae Martii; ideo ut huic etiam difficultati occurreret, Dionem, dixit, cuilibet ex illis duobus menſibus, quibus ſupra annum regnavit Macrinus, triginta tantum dies attribuiſſe, *adeout ſecundus menſis ſexto Junii die deſinat, atque tres dies tollendi ſint, ſextus nempe, quintus, & quartus, & Macrinus die tertia debellatus fuerit*.

Belle quidem, ac peracute excogitata a Clariſſ. Viro haec ſunt. Verum quod primum, de Macrini Imperio a Caracallae nece, non vero a die, quo dictus fuit Imperator, computando, ſpectat; haud facile in animum poſſum inducere, Dionem, qui tam diſerte Macrinum, poſt quartum, aut quarto ipſo a Caracallae interitu die, Imperium ſuſcepiſſe tradit, a die poſtea illius interitus imperii ejus tempus numerare voluiſſe. Quam vero diverſa, annos Septimii Severi a nece Juliani repetendi, ratio extiterit, nemo eſt, qui non videat. Severus enim Idibus Aprilis acclamatus apud Carnuntum Imperator, Imperium non niſi Kalendis Junii, necato Juliano, adeptus eſt: Macrinus vero, octava die Aprilis Caracalla interfecto, neque Imperio ea die potitus eſt, neque a militibus acclamatus. Quod vero ad ſecundum attinet, nimirum cuilibet ex illis duobus menſibus, quibus ſupra annum regnavit Macrinus, triginta tantum dies Dionem attribuiſſe, id etiam purum putum commentum exiſtimem. Si enim dies menſibus pro arbi-

arbitrio definiendi; quidni deducta etiam Imperii Macrini Epocha a die undecima Aprilis, qua revera dictus fuit Imperator, triginta dumtaxat dies duobus, tribuſve menſibus, prout opus fuerit, adſignemus? Cur etiam relicto initio Elagabali die ſexta Junii, ut in Annalibus, quos corrigit, Dionem cum Lampridio poſtea quoad Alexandri natalem conciliaturus, unum quatuor ſingulis menſibus, diem non adimit, triginta iis dumtaxat dies tribuendo?

His accedit, quod quamvis Elagabali neces ad diem ſextam Martii quoquo modo retrahi valeat, haud inde tamen ſatis conſtans Dionem inter, & Lampridium, concordia iniretur. Pagius in Diſſertat. Hypat. loco ſupra laudato cenſet Lampridium in Alexan. cap. VI. tradidiſſe, Alexandrum Severum die ſexta Martii nuncupatum fuiſſe Auguſtum, & in Critica Bar. ad ann. Ch. 222. num. II. Senatus acclamationes, quas Lampridius eod. cap. VI. *ex Actis Urbis ante diem pridie nonas Martias* recitat, *in Inauguratione* Alexandri fuiſſe habitas, contendit. Verum ex iis, quae citato loco habet Lampridius, ſatis colligitur, Alexandrum non ea die nuncupatum fuiſſe Auguſtum, ſed die quopiam alio praecedenti. *Interfecto Vario Heliogabalo* (ait Lampridius cap. I.) . . . *Aurelius Alexander . . . accepit Imperium, quum Caeſar a Senatu eſſet appellatus, mortuo ſcilicet Macrino: Auguſtumque nomen idem recepit. Addito eo, ut Patris Patriae nomen, & jus proconſulare, & Tribunitiam poteſtatem, & jus quintae relationis, deferente Senatu, uno die aſſumeret.* Et inferius cap. VI. *Recuſavit & Magni nomen, quod ei quaſi Alexandro eſt oblatum Senatus judicio. Intereſt retexere orationem, qua nomen Antonini, & Magni delatum ſibi a Senatu*

C 2 recu-

recuſavit; quam priuſquam referam, addam acclamationes Senatus, quibus id decretum. EX ACTIS URBIS A. D. PRIDIE NONAS MARTIAS *quum Senatus frequens in Curiam &c.* Ex his non aliud elicimus, quam die ſexta Martii a Senatu actum de Antonini, & Magni nomine Alexandro novo Imperatori deferendo. Infra vero, quum Senatus acclamationes, quibus Alexandro nomen Antonini delatum, retuliſſet, Alexandrum cap. VIII. ita loquentem inducit: *Gratias vobis P. C. non nunc primum, ſed & de Caeſareo nomine, & de vita ſervata, & Auguſti nomine addito, & de Pontificatu Maximo, & de Tribunitia poteſtate, & Proconſulari Imperio, quae omnia uno die in me contuliſtis.* Tum ſubjicit: *& quum diceret acclamatum: Haec ſuſcepiſti: Antonini nomen ſuſcipi mereatur &c.* Ea certe gratiarum actio Alexandri, ut recte etiam Philippus Bonarota, Vir haud doctrina, & nobilitate modo, ſed vel Senatorio ordine Clariſſimus, in Obſervationibus Hiſtoricis in Numiſmata majoris moduli Eminen. Cardin. Carpinei pag. 236. obſervat, quemadmodum allata Senatus reſponſio ſatis luculenter demonſtrat, Alexandrum non illa die, qua a Senatu de Antonini, & Magni nomine ei tribuendo, actum fuit, Auguſti nomen, Tribunitiam poteſtatem, Pontificatum Maximum, & Imperium Proconſulare ſuſcepiſſe, ſed ſuſcepta ea omnia jam ab illo antea fuiſſe.

Porro idem modo a nobis laudatus Philippus Bonarota ex Nummo ipſius Alexandri abs ſe Tab. XII. 1. exhibito, veriſimile etiam exiſtimat eadem pag. 236., Imperium illi a Senatu delatum fuiſſe ante Kalendas menſis Martii. In priori parte ejus nummi viſitur Imperator laureatus cum Toga, & Sceptro Conſula-

ſulari, in averſa vero idem Imperator in quadrigis coronatus a victoria, cum Epigraphe P. M. TR. P. VIII. Cos. III. P. P. ut infra.



Ex habitu Conſulari, quo indutus is Princeps apparet, nummum illum percuſſum autumat, antequam tertio ſuo Conſulatu, quem anno V. C. DCCCCLXXXII. iniit, ſe abdicaſſet: quare quum e Lampridio cap. XVIII. *primo nundino*, quod in Kalendas Martii incidebat, ſuis conſulatibus, quos tres tantum geſſit, ſemper abierit, confici hinc, inquit, videtur, quod ante dictas Kalend. menſis Martii anni V. C. DCCCCLXXXII. Tribunitiam Pot. VIII. inchoaverit, ac proinde ante Kalendas Martii anni V. C. DCCCCLXXV. Tribunitiam Pot. primum, atque Imperium capeſſierit. Verum illud etiam Vir eximius animadvertit, quod quemadmodum Claudius, ut notat Dio, Poteſtatem Conſularem, ludos quoſdam triumphales celebraturus, & ſi minime Conſul eſſet, ſuſcepit; ita Alexander dici poſſit, ut Triumphalium quadrigarum honore, quem illi delatum is nummus indicat, uteretur, Poteſtatem etiam

Con-

Conſularem denuo ſumpſiſſe, quamvis Conſulatu, ut Suffectis Conſulibus cederet, jam abiiſſet. Quae quidem, licet addat incerta eſſe, ac de Imperatore, qui veteres ritus, & ad Nundina praeſertim ſpectantes inſtaurare, ac colere religioſe, ſtudebat, haudquaquam credenda, vera nihilominus arbitrer; niſi cum Noriſio in Epiſt. Conſulari pag. 161. Lampridii fidem ea in re, nimirum quod Alexander in ſuis Conſulatibus *primo Nundino* ſibi alios ſemper ſuffecerit, elevemus, quum ut citato loco obſervat Emin. Scriptor, Capitolinus cap. IV. in Gordiano Seniore, ſcribat ipſum Gordianum Conſulatum primum iniiſſe cum Antonino Caracalla, *ſecundum cum Alexandro Severo*: unde quum nuſquam Gordianus in faſtis legatur Collega Alexandri, neceſſe videtur, ut Alexander quempiam trium Conſulatuum extenderit ultra Kalendas Martias, ut Gordianus ejuſdem Collega dici poſſit.

Ceterum ut ad Senatus acclamationes *pridie nonas Martias* habitas, redeamus, ex iis, quae ſupra tradidimus, liquet, non ipſa die Inaugurationis Alexandri, eas revera habitas fuiſſe; adeoque, etſi Elagabali mors, uti diximus, ad diem ſextam Martii revocari poſſit, non ſatis tamen Dionem & Lampridium ea in re conciliaveris. Quare quum haec agitarem, meque plurimum ipſius Lampridii teſtimonium, utpote erutum ex Actis Urbis vexaret, ea animum inceſſit cogitatio, quod in textum Lampridii quopiam fortaſſis modo irrepſerit *Pridie Nonas Martias*, loco *Pridie Idus*. Sic enim deducto Macrini initio ab undecima die Aprilis anni V. C. DCCCCLXX. ſeu quarta ab Caracallae interitu die, Macrinus devictus fuiſſet die ſeptima Junii anni V. C. DCCCCLXXI., atque Elagabalus tandem interfectus

die

die decima Martii anni V. C. DCCCCLXXV.; unde Alexandro, eo, vel quopiam ex inſequentibus diebus, dicto Imperatore, necnon Patris Patriae nomine, Tribunitia Pot., & jure Proconſulari inſignito, die tandem quartadecima, ſeu *pridie Idus Martii*, in Senatu, de Antonini & Magni nomine eidem tribuendo, actum fuiſſet. Id vero viſum quoque poſtea comperi Clariſſ. & accuratiſſimo Viro Tillemontio in Hiſtor. Impp. tom. III. par. III. nota VI. in Heliogab., qui ingenioſe praeterea obſervat, eas Senatus acclamationes, ſeu Urbis Acta obita fortaſſis fuiſſe die quidem ſexta Martii, ſed non ejus anni aerae Chriſtianae 222.; Quod tamen nullo pacto ipſe admiſerim, quum ex iiſdem acclamationibus contrarium exſculpi videatur, ac rationes, quas pro ea conjectura adſtruenda is profert, ſatis apte, ut ego quidem opinor, queant dilui. *Les diſcours* (primo inquit) *d'Alexandre y paroiſſent audeſſus d'un enfant de treize ans, & demi: qui eſt l'age, que ce Prince avoit ſelon Herodien au mois de Mars* 222. *Il y eſt parlé* (inquit ſecundo) *de vaincre les Parthes, & les Perſes. Et les Romains ont-ils ſongé aux Perſes, juſqu' à ce que leur empire ait eſté retabli par Artaxerſes; ce que ne paroiſt s'eſtre fait que vers l'an* 225. *ou* 226.? *Le Senat* (poſtremo obſervat) *y dit a Alexandre:* Viciſti vitia, viciſti crimina, viciſti dedecora. Nos te & a pueritia probavimus, & nunc probamus. *Cela ſe peut-il dire meſme par des flateurs à un enfant de* 13. *ans & demi?* Juxta allatam ſecundo loco rationem fieri enim vero ea Acta non potuere niſi poſt, aut circa annum aerae Chriſtianae 226. vel ad minus 225., poſtquam ſcilicet Perſarum Regnum fuit denuo ab Artaxerſe inſtauratum. At hae priores, quae in iis Actis editae fuere acclamationes:

tiones:

tiones: *Auguſte innocens Dii te ſervent* . . . *Dii te nobis dederunt, Dii conſervent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt, Dii perpetuent. Impurum Tyrannum & tu perpeſſus es, impurum, & obſcenum & tu videre doluiſti. Dii illum eradicaverunt. Dii te ſervent. Infamis Imperator rite damnatus. Felices nos Imperio tuo, Felicem Remp. Infamis unco tractus eſt ad exemplum timoris. Luxurioſus Imperator jure punitus eſt. Contaminator bonorum jure punitus eſt. Dii Immortales Alexandro vitam. Judicia Deorum hinc apparent.* Haec haud dubie non quinto, aut quarto Imperii anno Alexandro dicta videntur, ſed non multo poſt ipſius inaugurationem, quum Senatus nimirum furore adhuc, in interfectum Elagabalum, per plateas jam recens tractum, & dilaniatum, percitus eſſet, aut gaudio quodammodo, ob nequiſſimum Tyrannum ſublatum, adhuc exiliret. Alexander Antonini nomen ſibi in iiſdem Actis oblatum reſpuens ſic cap. IX. effatur: NUPER *certe P. meminiſtis, quum ille omnium non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus Antonini nomen praeferret* . . . . . *qui gemitus omnium fuerint &c.* Illud *nuper* de re profecto non quinque, aut quatuor annis tranſacta, ſed quae non multo ante evenit, intelligendum. Senatus laudatae Alexandri orationi reſpondens ſic acclamavit: *Dii mala prohibeant. Haec te imperante non timemus, de his te Duce ſecuri ſumus* . . . . *certi ſumus*, BENE PRAESUMIMUS, *nos te & a pueritia probavimus, & nunc probamus*. Quid illud *bene praeſumimus*? Num de Imperatore, quem quinque, aut quatuor annis bene prorſus moratum, caſtiſſimumque fuerant experti? Quum Alexander, ea non obſtante Senatus reſponſione, conſtan-

ſtanter idem Antonini nomen repudiaſſet, ſic Senatus tandem cap. x. acquievit: *Alexander Auguſte Dii te ſervent verecundiae tuae, prudentiae tuae, innocentiae tuae, caſtitati tuae. Hinc* INTELLIGIMUS QUALIS FUTURIS SIS. *Hinc probamus. Tu facies, ut Senatus bene Principes eligat. Tu facies optimum eſſe judicium Senatus.* Nonne haec etiam de Imperatore recens electo intelligenda? His addere poſſumus, quod Lampridius quum, poſt recitata ea Acta, tradidiſſet cap. xii. Alexandrum multo clariorem viſum eſſe *alienis nominibus non receptis, quam ſi recepiſſet, atque ex eo conſtantiae, ac plenae gravitatis famam* obtinuiſſe, eam hujus rei affert rationem, quod nimirum *uni adoleſcenti* (vel, ut aptius ad rem noſtram legitur in Codice MS. noſtrae hujus Abbatiae Florentinae, *uni vel adoleſcentiori*) *potius Senatus totus perſuadere non potuit.* Quae ratio tredecim circiter annorum juveni melius congruit, quam octodecim, aut novendecim. Subjicit tandem Lampridius, quod Alexander *quamvis Senatu rogante non potuerit perſuaderi, ut vel Antonini, vel Magni nomina ſuſciperet, tamen ob ingentem vigorem animi, & mirandam ſingularemque conſtantiam contra militum inſolentiam, Severi nomen a militibus inditum eſt, quod illi ingentem inpraeſentia reverentiam, magnamque apud poſteros gloriam peperit.* In nummis autem Alexandri, id nomen non quarto, aut quinto imperii anno adtributum illi videmus, ſed ſtatim ſub imperii initia. At falſum fortaſſis, quod Lampridius, de Severi nomine Alexandro, ob ſeveritatem a militibus indito, aſſerit, quum Goltzius nummos etiam ipſius Alexandri, quum purus Caeſar adhuc eſſet, eo nomine obſignatos recenſeat.

D Quod

Quod vero habitae in iis Actis ab Alexandro orationes ſupra aetatem, quam, quum Auguſtus fuit nuncupatus, agebat, videantur, id mirari neutiquam ſubit, nam is, ut ait Lampridius cap. III. *a prima puerita artibus bonis imbutus tam civilibus, quam militaribus, ne unum quidem diem ſponte ſua tranſire paſſus eſt, quo ſe non ad literas, vel ad militiam exerceret*. Recenſet poſtea eodem loco Lampridius, quos jam in patria, antequam cum Elagabalo Romam veniſſet, Praeceptores eximios, ſive Literatores, ſive Grammaticos, ſive Rhetores, ſive Philoſophos habuerit, & quos poſtquam Romam advenit. Qua autem gravitate etiam, ac modeſtia in puerili adhuc aetate, praeditus ille fuiſſet, probat optima Mamaeae matris educatio, quae, ut teſtatur Herodianus lib. v. cap. IV., quum Elagabalus vellet eum turpiſſimis ſuis inſtitutis imbuere, ſedulo ab illis eum avocabat, *ſubmiſſis clam Doctoribus omnium diſciplinarum, modeſtiamque edocens, ac paleſtra, virilibuſque gymnaſiis inſuefaciens, Graeciſque eum pariter & Latinis literis inſtituens*. Quibus ſane de rebus indignatus Elagabalus Doctores omnes ejuſmodi aula exegit, aliis quidem morte mulctatis aliis vero exilio, *ridiculas*, ut ait idem Herodianus, *allegans cauſas, quod filium ipſius corrumperent, neque agitare eum choros, neque ebacchari ſinerent, ſed ad modeſtiam componerent, & virilia officia edocerent*. Agitur porro iiſdem in Actis, de Parthis, Perſiſque vincendis, quum inter alia, quibus Alexandro Antonini nomen oblatum eſt, ſic etiam Senatus acclamarit: *Parthos, & Perſas Antoninus vincat*. Verum etſi Alexandri initio Perſarum Regnum nondum inſtauratum fuiſſet, ſed Parthorum, ſeu Arſacidarum Imperio ſubditi adhuc ii eſſent; id

tamen

tamen minime vetat, quo, de iis quoque vincendis, fieri mentio potuiſſet. Praeter enim, quamquod dici poſſit, Perſarum nomine eo loci fortaſſis deſignari quotquot praeter Parthos in Aſia tum temporis imperitabant, qua ratione videtur etiam Spartianus in Septimio Severo cap. XVIII. Abgarum, qui ab Herodiano lib. III. cap. IX. in geſtis ejuſdem Severi Oſrhoënorum Rex dicitur, Regem Perſarum appellaſſe: illud tamen a Senatu dictum putarim, quod quum Arſacidarum Imperium, quod tum late dominabatur, quodque unum Romanae rei metui erat, e Parthis ſimul Perſiſque conflaretur, ideo ad illud prorſus delendum, ut utriſque jugum Alexander inferret, optaverint. Certe juxta ipſius Tillemontii obſervationem, poſt Parthos ſubactos, ac Perſici Principatus inſtaurationem, diſerte de Parthis ſimul, ac Perſis vincendis fuit actum, licet Parthi tum Perſis parerent. Quidni ergo de iiſdem ſimul vincendis a Senatu agi potuit, quum Parthis Perſae adhuc ſubditi eſſent? His addo, quod, quum etiam ante Artaxerſem, ac Parthis imperantibus, Perſae ſuum ſemper ac peculiarem, ut de ſuo tempore teſtatur Strabo lib. XV., Regem habuerint, cui Perſidis regio, & Carmania, & Suſiane, ac reliquae provinciae in ora Maris Indici parebant, ut docte obſervat Salmaſius in Plinian. Exercit. in Solini Polyhiſt. cap. IV.; credibile admodum eſt, ut, licet humiles diu, & Partho addicti, obnoxiique egerint, ſenſim nihilominus illorum vires, ac praeſertim poſt cladem ipſis Parthis a Septimio Severo illatam, adoleverint, itaut circa Severi Alexandri initium potentiores revera effecti, bellum, magno armorum, atque militum apparatu, adverſus eoſdem Parthos inſtruere, Artaxerſe Duce, aggreſſi ſint, ſicque

ipſis etiam Romanis, quibus poſtea idem Artaxerſes, *ſe recuperaturum omnia, quae Perſae olim tenuiſſent uſque ad mare Graecum, quaeque ad ſe propter majores ſuos pertinerent*, ut ſcribit Dio apud Xiphilinum, minitatus eſt, haud parum timoris injecerint. Quod demum ad poſtremam Tillemontii rationem ex iis acclamationibus erutam: *Viciſti vitia, viciſti crimina &c.;* nullam ſane ego in illis aſſentationem reperio, imo veraciter ea omnia de Alexandro dicta exiſtimem; quum revera, in ipſa ſua pueritia, ab probris omnibus, ac turpitudinibus, quibus Elagabalus ſe contaminabat, eumque etiam imbuere ſtudebat, quammodeſtiſſime, juxta Mamaeae praeceptiones, ſe cohibuerit: itaut ipſe Elagabalus ea de re, quemadmodum loco ſupracitato teſtatur Herodianus, ſummopere indignatus ſit, jamque adoptionis, imperiique participati poenituerit. Quare ex dictis concludere, poſſumus, ea recenſita a Lampridio Urbis Acta geſta revera fuiſſe, circa initium imperii Alexandri, ac non alia proinde ratione Dionem, & Lampridium, quoad funereum Elagabali diem conciliari invicem poſſe, niſi loco *pridie Nonas Martias* legamus *pridie Idus Martias*. Verum, quidquid etiam hac de re ſit, illud pro certo, quod ad rem noſtram attinet, habendum eſt, Dionem nempe, & Lampridium Elagabali necem menſe Martio definiiſſe.

CA-

CAPUT III.

Refellitur Mediobarbi, & Vaillantii opinio de tempore necis Elagabali. Germanica Maximini Victoria quo anno habita. Gordianus Africanus nuncupatus Imperator poſt inchoatum tertium annum imperii Maximini. Maximinus quartum annum imperii libavit. Philippi Bonarotae, de notis SC. in nummis ſcalptis, ſententia. Quo tempore interfectus Maximinus. SS. Pontianus, & Hippolytus primo anno imperii Maximini paſſi. Maximini initium perperam a Dodwello conſignatum Nummi Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae cum L. E. non ſatis, nec juxta Mediobarbi ſententiam, explicati.

MEdiobarbus, & Vaillantius, viri de re Antiquaria optime meriti, Dionis, & Lampridii auctoritate neglecta, Elagabalum, ut cap. 1. monuimus, vitam, & imperium ad menſem uſque Septembris anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. protraxiſſe, autumant. Rationes, cur ad id ſtatuendum Mediobarbus fuerit adductus, in Faſtis ſuis attuliſſe ſe, ſcribit. *Hoc anno* (inquit in lib. de Impp. Roman. Numiſm. pag. 313. ad annum V. C. 975. Chriſti 222.) *menſe Septembri occiſus eſt Elagabalus, ut pluribus probavimus in Faſtis noſtris*. Optaſſem, ut aliquando praedicti Mediobar-

bi

bi Faſti prodiiſſent. Porro haec opinio, praeterquamquod Dioni, & Lampridio, ut ex capite ſuperiori perſpicuum ſit, adverſatur, repugnat enim vero antiquiſſimo etiam Lapidi ſupra a nobis cap. I. exhibito, in quo Heckadaecaëteris Paſchalis S. Hippolyti cernitur, quoque Alexander ab Idibus Aprilis ejus anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. Imperio jam auctus demonſtratur. Neque enim praedictus Laterculus erroris propterea inſimulandus, quod aliquanto fortaſſis poſt illa tempora, ut mihi quidem eruditus Amicus objecerat, fuerit Hippolyti Cathedrae inciſus; nam etſi id fieri potuerit, nihilominus Heckadaecaëteridem illam Paſchalem exacte juxta Hippolyti autographum in Cathedra deſcriptam fuiſſe, exiſtimare par eſt. Hippolytum autem Elagabali, atque Alexandri aevo vixiſſe, ex Euſebio lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXI. omnino certum. Quod vero alio in Lapide, ſupra pariter cap. I. recitato, Elagabalus Idibus ipſis Aprilis ejuſdem anni Serapidi templum dedicaſſe, conſpiciatur, illum, aut ante Elagabali necem, quo omnia, pro Templi dedicatione Idibus Aprilis peragenda, parata forent, inſculptum putarim, aut, quod veri forte ſimilius, id Templum ab Elagabalo antea exſtructum, Idibus tandem Aprilis illius anni ſub ſucceſſore Alexandro fuiſſe dicatum. Certe Dedicationis inſcriptio, non eodem, quo Elagabali Elogium, ſed alio a tergo Lapide inciſa apparet; quare fieri potuit, ut poſt mortem Elagabali, quemadmodum re ipſa autumat Pagius in Diſſertat. Hypat. pag. 54., ea ab Alexandro poſita ſit: aut ut tota etiam Inſcriptio praevie ab Elagabalo, ſed excepta die, inſculpta ſit, uti cenſet Tillemontius in Hiſtor. Impp. not. VI. in Heliogab., ubi haud metuit, praeterea

terea addere : *Si non je penſe , qu' il faut dire , que l' inſcription eſt fauſſe*. His autem ſat ſtabilitis, expendendum modo, quae, ex ea Mediobarbi, & Vaillantii ſententia, incommoda proficiſcantur.

Statuta menſe Septembri anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. Morte Elagabali, eoque tempore initio Alexandri conſignato, occiſum tandem eundem Alexandrum fuiſſe, ac Maximinum a militibus electum anno V. C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235. circa initium Octobris conſequenter dicendum. Lampridius enim in Alexandro cap. LX. illum *annis* XIII. *diebuſque novem* imperaſſe tradit, & Eutropius periiſſe eumdem teſtatur XIII. *imperii anno, & die octava*, ubi Eutorpius diem forte illius emortualem excludit, aut imperii natalem, quem Lampridius includit. Herodianus etiam lib. VI. cap. IX. & lib. VII. cap. I. Alexandrum *quatuordecim annos* regnaſſe ſcribit, quod de annis Julianis intelligendum, illiſque utinque incompletis. Id quidem non diffitentur Mediobarbus, & Vaillantius, alter in Numiſmat. Impp. pag. 325., alter vero tum in num. aur. & arg. pag. 305. tum in num. Graec. pag. 251. Verum enim vero Maximini Imperii initium ad Octobrem uſque illius anni differri non poſſe, plura ſuadent. Germanicam Maximini, poſt interfectum Alexandrum Victoriam, quam late Herodianus lib. VII. cap. II. & Capitolinus in Maximinis duobus cap. XII. deſcribunt, eodem ipſo anno V. C. DCCCCLXXXVIII. contigiſſe, Baronius ad annum Ch. 237. quem dicto anno. V. C. DCCCCLXXXVIII. ideo copulat, quod duobus annis aeram Chriſtianam jam ab initio anteverterat, Petavius de Doctr. temp. lib. XIII., Pagius, aliique contendunt. Illud autem bellum aetatis tempore, ſeu maturis jam ſegetibus,

bus, a Maximino geſtum fuiſſe conſtat. *At vero Maximinus* (ait Herodianus loc. cit.) *hoſtilem ingreſſus agrum, diu nomine qui reſiſteret invento . . . regionem illorum depopulabatur* MATURIS JAM SEGETIBUS. Et infra: *Igitur Maximinus in eam regionem longe lateque graſſatus, populatis* SEGETIBUS, *omnique pecore captivo militibus permiſſo, nullos adhuc hoſtes invenerat &c.* Si itaque id bellum aeſtate illius anni Germanis a Maximino poſt interitum Alexandri illatum, haud poterit proculdubio in menſem uſque Octobrem ejuſdem anni Alexandri neces, & Maximini exordium rejici. Mediobarbus equidem, ut difficultatem hanc declinaret, nummos, in quibus Maximinus *Germanicus* dicitur, ſub anno ſequenti locavit, laudatamque proinde Victoriam, non illo anno V.C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235., ſed anno V. C. DCCCCLXXXVIIII. Ch. 236. conſignavit. At alia teſtimonia Herodiani perlegamus. *Pontem,* inquit eodem loco, *conſtruxerat Maximinus ſupra flumen, qua adverſus Germanos tranſiret. Ut enim primum ſummam rerum ſuſcepit, ſtatim bellica facinora affectavit* (ſeu ut melius Graeco textui conſonat, *ſtatim bellica facinora aggreſſus eſt,* εὐθέως πολεμικῶν ἔργων ἤρξατο.) *Siquidem ob immanem corporis ſtaturam, & militare robur, ac peritiam pugnandi adſcitus ad imperium, reipſa famam confirmare, atque opinionem militum tendebat, ut metum illum, atque cunctationem Alexandri in praeliis capeſſendis jure improbatam fuiſſe, coargueret.* Et aliquanto poſt: *His ita diſpoſitis rebus collecto exercitu omni, ac ponte interpide pertranſito bellum Germanis intulit . . . . At vero Maximinus hoſtilem ingreſſus agrum . . regionem illorum depopulabatur maturis jam ſegetibus &c.* Maximi-

num

num hic cernimus, ſtatim, poſt capeſſitum imperium, bellicas adverſus Germanos res meditari, atque aggredi; cordi illi ſummopere eſſe, quo ſui in re militari exiſtimationem apud milites plane confirmet, ac omni tandem ſtudio eniti, ut Alexandri, in bello inferendo, cunctationem, ab exercitu jure damnatam, punitamque palam demonſtret. Supra etenim idem Herodianus lib. VI. cap. VII. tradiderat, quod *Miles Romanus iniquo animo ferebat, fruſtra ſe tempus terere nulla occaſione fortiter quidquam, animoſeque gerendi, intento aurigationibus (ut ajebant) ac deliciis Alexandro, quum contra oporteret, vindicare potius Germanos, poenaſque ab iis exigere audaciae.* Cur itaque, in tanto hoc rerum aeſtu, tantaque animi, tum militum de ſe opinionis tuendae, tum cunctationis Alexandri improbandae, ſolicitudine, bellum a Maximino, ad aeſtatem uſque anni inſequentis, differendum? Si autem, deducto initio Alexandri a menſe Martio anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222., illum menſe pariter Martio anni V. C. DCCCCXXXVIII. Ch. 235. interfectum, fuiſſe aſſeramus, jam patet, ut Maximinus, confeſtim, poſt tres nempe, aut quatuor ab inito imperio menſes, bellum Germanis aeſtate ejuſdem anni, inferre potuerit. Eo autem trium, aut quatuor menſium ſpatio, ſingula etiam idem Maximinus, quae ante bellum ab eo patrata refert Herodianus, commode potuit perficere. His addere poſſumus duo a Goltzio recitata numiſmata ipſius Maximini, in quibus *Germanici* titulus illi tribuitur, quamvis in iis tantum legatur: P. M. TR. P. P. P. ſine nota Conſulatus, quem geſſit is Imperator anno V. C. DCCCCLXXXVIIII.; Ex quo recte inferri poteſt, eos nummos cuſos fuiſſe anno praecedenti DCCCCLXXXVIII.

quo Maximinus nondum trabea Conſulari fuerat ornatus: unde ſi cum *Germanici* appellatione in iis exhibetur, bellum etiam ipſum Germanicum eodem anno erit conſignandum. At pergamus.

Idem Mediobarbus pag. 331. ad An. V. C. 990. Ch. 237. *Marcus Antonius*, inquit, *Gordianus Africanus purpura induitur a juventute Tyſdriana in Africa*. A. D. VI. *Kal. Junii a Senatu, Populoque Romano confirmatus P. M. TR. P. COS. P. P.* Quod ad diem, menſemque attinet, quo a Senatu confirmatus Gordianus fuit, teſtis eſt Capitolinus in Maximinis duobus cap. XVI., ubi, illa die Gordiani literas in aede Caſtrorum fuiſſe lectas tradit. *Quum ventum eſſet*, inquit, *in aedem Caſtrorum VI. Kalendas Junias, acceptas literas Julius Syllanus Conſul Africae Gordiani Imperatoris Proconſulis recitavit.* Tum poſt recitatas literas ſubjicit: *Lectis literis ſtatim Senatus acclamavit: Gordiane Auguſte Dii te ſervent: Felix imperes. Tu nos liberaſti, ſalvus imperes. Tu nos liberaſti, per te ſalva Reſp.; Omnes tibi gratias agimus.* Quo autem tempore, a ſuſcepto a Maximino imperio, id contigerit, diſerte indicat Victor de Caeſaribus in Epitome: *C. Julius Maximinus*, inquit, *Imperator, filiuſque ejus pari nomine Caeſar eſt factus. Quîs biennium ſummis potitis repente Antonius Gordianus Africae Proconſul ab exercitu Princeps apud Tyſdri oppidum abſens fit, qui Carthaginem petit. Ibi quum avertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem divinam ſolitis ageret, repente hoſtia partum edidit &c.* Prodigia, quae avertere, ſtudebat Gordianus, fuerat magna quaedam Solis Eclipſis, quae die duodecima Aprilis illius anni, hora quarta poſt meridiem, acciderat; ex quo colligit Pagius ad ann.

Ch.

Digitized by Google

Ch. 236. num. VII., in Africa nuncupatum fuiſſe Imperatorem Gordianum circa illum diem XII. Aprilis dicti anni 237. Si igitur, quum Gordianus Africanus ab exercitu dictus fuit Imperator, aut ſaltem, quum a Senatu VI. Kalendas Junias ejus anni, aut etiam, ſi mavis, VI. Kalendas Julias (ut eo loco legendum putat Salmaſius) confirmatus fuit, Maximinus *biennium* ſummis jam fuerat potitus, plane conficitur, initium Maximini, non a menſe Octobri anni V. C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235., ſed à menſe potius Martio ejus anni, eſſe deſumendum. Quod e Victore didicimus, luculenter edocent etiam tria inſignia ejuſdem Maximini epigrammata, in Hiſpania alterum, & reliqua in Gallia reperta, in quibus Maximinus TR. P. III. inſcribitur, quum ea ceteroquin, antequam a Senatu Gordianus confirmatus eſſet, poſita fuiſſe, videantur. Prius habemus in Theſauro Gruteriano pag. CLVIII. 6.

IMP. CAES. CAIVS. IVLIVS
VERVS MAXIMINVS. PIVS. FE
LIX. INVICTVS. AVG. PONT
MAX. PATER. PATRIAE. TRI
BVNICIAE. POTESTATIS. TER. COS
GERMANICVS. MAX. DACICVS
MAX. SARMATICVS. MAX. &c.


Alia duo ſunt apud Sponium in Miſcellan. eruditae Antiquitatis pag. 187. 3. 4. Porro dicata ea elogia fuiſſe, antequam in Senatu ſuperius laudatae acclamationes pro Gordiano editae fuiſſent, colligimus ex eodem Capitolino cap. XV., ubi poſtquam retuliſſet, a Senatu utrumque Gordianum Auguſtos fuiſſe appellatos, & Maximinum contra, ejuſque filium hoſtes vocatos, eundem Senatum, ſubjungit, literas ad omnes Provincias,

 quo

quo univerſis ea Gordianorum nuncupatio perſpecta foret, miſiſſe, illaſque ab omnibus fuiſſe auditas. *Ubi baec geſta ſunt*, inquit, *Senatus magis timens Maximinum aperte, ac libere hoſtes appellat Maximinum & ejus filium. Literas deinde mittit ad omnes provincias, ut communi ſaluti libertatique ſubveniant, quae* AUDITAE SUNT AB OMNIBUS. Earum autem literarum exemplum ex eodem Capitolino hoc fuit. S. P. Q. R. *per Gordianos Principes ab illa triſtiſſima bellua liberari coeptus Proconſulibus, Praeſidibus, Legatis Ducibus, Tribunis, Magiſtratibus, ac ſingulis Civitatibus, & Municipiis, & Oppidis, & Vicis, & Caſtellis ſalutem, quam nunc primum recipere coepit, dicit. Diis faventibus Gordianum Proconſulem virum ſanctiſſimum, & graviſſimum Senatorem meruimus, Auguſtum appellavimus; nec ſolum illum, ſed etiam in ſubſidium Reip. filium ejus Gordianum nobilem juvenem. Veſtrum eſt conſentire ad ſalutem Reipublicae obtinendam, & ad ſcelera defendenda, & ad illam belluam Maximinum, atque illius amicos ubicumque fuerint perſequendos. A nobis etiam Maximinus cum filio ſuo hoſtis eſt judicatus.* Non itaque veriſimile eſt, ea elogia, in laudatis provinciis, poſt ejuſmodi acceptas literas, inciſa fuiſſe. At neque poſita, eadem cenſenda, poſt necem Gordianorum, non multo poſt conſequutam; nam ſtatim, poſt eorum interitum, Maximus Pupienus, & Clodius Balbinus a Senatu electi fuere, & Pupieno adverſus Maximinum profecto, ſcriptum pariter a Senatu eſt, ut teſtatur idem Capitolinus in Maximo, & Balbino cap. x., *ad omnes provincias miſſis frumentariis, juſſumque, ut quicunque Maximinum juviſſet, in hoſtium numero duceretur*. Si ergo poſitae illae inſcriptiones fuere, antequam Maxi-

Maximinus a Senatu hoſtis declararetur, atque in iis Tribunitiae Pot. tertium revera is dicitur, neceſſe eſt, illum, ante id tempus, nimirum ante diem vigeſimam ſeptimam menſis Maii, ſeu vi. *Kalendas Junias* anni V.C. DCCCCLXXXX. Ch. 237. tertium annum imperii attigiſſe. Sed ſatis hac etiam in re immoratum.

Maximinus *a Pupieno Aquileiae occiſus eſt* (ait Eutropius lib. ix.) *deſerentibus eum militibus ſuis cum filio adhuc puero, cum quo imperaverat triennio, & paucis diebus*. Victor etiam in epitome, Euſebius in Chron., & in Hiſtor. Eccleſ., Oroſius, S. Epiphanius, aliique Maximinum tribus annis regnaſſe, confirmant. Eutropio fidem conciliant nummi duo Latini alter ab Occone, & alter a Mediobarbo recitati, in quibus Maximinus dicitur TR. P. IIII., ac duo praeterea Graeci, alter ejuſdem Maximini, alter vero Maximi ejus filii, apud Patinum in Theſauro Mauroceni L. Δ. *anno* IV. inſcripti. In Muſeo Mediceo extat nummus a Mediobarbo laudatus, cujus ectipum a Cl. & peritiſſimo ejus Gazae Cuſtode, Sebaſtiano Bianchi, qui praeſtantiſſimi ejuſdem Muſei jam abs ſe adornatam Deſcriptionem in lucem ut tandem efferat, optandum, impetratum ſubjicio.



Hunc

Hunc nummum indubitatae fidei eſſe, contrectantibus plane manifeſtum; quod Pagio etiam Emin. Noriſius teſtatus fuerat, in privata ad illum Epiſtola, cujus ipſe Pagius meminit ad ann. Ch. 238. num. iv. Scio equidem, Tillemontio, not. v. in Maximin., non parum negocii faceſſere, quod eo in nummo S. C. viſatur. Quum enim Maximinus jam multo antea a Senatu hoſtis fuiſſet declaratus, credibile non eſt, ut ejuſdem Senatus conſulto, & auctoritate, nummi illi, circa id tempus; percuſſi ſint. Quare, quum ille adnotaſſet, Pagium ejus nummi antiquitatem Noriſii auctoritate ſuſtinuiſſe, ſubjicere non dubitavit: *mais je voudrois, qu' il nous euſt juſtifié ce S. C.* Verum etſi dici poſſit, eos nummos cum S.C. potuiſſe etiam cudi, juſſu ipſius Maximini, in iis locis, quibus degebat; nihilominus cum Cl. Bonarota in ſupra a nobis cap praecedenti laudatis Obſervat. Hiſtor. in Numiſm. Card. Carpin. pag. 202., juvat hic obſervare, notam illam SC. haudquaquam, ut vulgo creditur, officinas, aut monumenta ab Senatu Imperatoribus condita ſignificare, quum indicari id videamus mediis notis E X S C, aut S P Q R, aliiſve ſimilibus inſcriptionibus, quas ſaepenumero junctas etiam cernimus cum SC., ſed potius, uti ille pag. 203., poſt rejectas aliorum ſingulas, circa hanc rem, opiniones, adſtruit, tres aeris magnitudines in Republica olim conſtitutas, tametſi ob pretii mutationem mole deinceps variatas, denotare: ex quo deinde is reddit rationem, quare in nummis maximi moduli, Italice *Medaglioni*, nuſquam SC. conſpiciatur, quia nimirum ii recentis, fuere magnitudinis, aevoque inductae ſequiori. Si itaque Maximinus quartum annum imperii libavit, deducto ejus initio ab Octobri anni V. C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235. ad

men-

menſem uſque Octobris anni V. C. DCCCCLXXXXI. Ch. 238. regnaviſſet. At falſum id eſſe, ipſe etiam Mediobarbus tandem fatetur. *Aquileia obſeſſa* (inquit pag. 329. A. V. C. 991. Chriſti 238.) *fruſtra a Maximino; qui cum filio trucidatur circa menſem Majum*. Et pag. 334. anno eodem: *Maximinus, occiſus circa Majum: Menſe Junio circa ſolſtitium, cum Ludi Capitolini, ſive Agon Capitolinus ageretur, cum Pupieno occiſus eſt Balbinus Aug. &c.* Balbinum, & Pupienum aliquanto poſt Maximinum interiiſſe, omnino certum. Eos autem trucidatos fuiſſe, quum Romae anno V. C. DCCCCLXXXXI. Agon Capitolinus celebraretur, teſtis locuples eſt Herodianus lib. VIII. cap. VIII. ubi ſic ait: *Quum itaque ludi Capitolini celebrarentur, deditis feſtis ac ſpectaculis omnium mentibus, repente diſſimulatum diu ſenſum milites indicarunt. Namque ira inſtincti, ac veſano quodam motu unanimiter ad Regiam concurrentes ſenes Principes* (Pupienum, & Balbinum) *ad necem depoſcebant*. Quod vero ludi illi Capitolini acti fuerint *menſe Junio circa Solſtitium* non adeo certum. Petavius lib. XI. de doctr. temp. cap. XXII. ex editione Antuerpienſi, aeſtivo quidem tempore ludos hos fuiſſe celebratos, contendit. Pagius autem ad ann. Ch. 238. num. VI. non aeſtivo, ſed verno potius tempore actos exiſtimat, idque probat ex eo, quod *Balbinus, & Pupienus ante finem menſis Maii interfecti ſint; cum Gordianus*, inquit, *Junior ſeptimum imperii annum attigerit, annoque Chriſti ducenteſimo quadrageſimo quarto ante Kalendas Julias perierit, ut ex dicendis conſtabit. Quare*, concludit, *hoc anno* (Chriſti 238.) *quo Balbinus, & Pupienus occiſus, Ludi Capitolini poſt diem* XIV. *menſis Martii, & ante Maii exitum editi*. Verum Cl. Vir ad laudatum

annum

annum Chriſti CCXLIV. licet oſtendat, Gordianum quidem Juniorem ſeptimum imperii annum delibaſſe, productis duobus nummis, in quibus is dicitur TR. P. VII., nullam tamen profert rationem, qua illum ante Kalendas Julias periiſſe, demonſtret; imo rejiciens recentiorum Chronologorum ſententiam, quod idem Gordianus menſe Martio interemptus ſit, praecipuam eorum rationem convellit, petitam e Codice Juſtinianaeo, in quo extat lex 6. *ad exhibendum* a Philippo Auguſto data II. *Idus Martii*, *Peregrino*, *&* *Aemiliano Coſſ.*; eoſque praeterea arguit, qui arbitrati ſunt in altera lege 6. *De collationibus* data a Gordiano VII. *Kalendas Maii*, *Peregrino*, *&* *Aemiliano Coſſ.*, loco VII. *Kalendas Maii*, legendum eſſe VII. *Kalendas Martii*. Contendit ſiquidem, optime fieri potuiſſe, ut Philippus eo anno legem illam 6. *ad exhibendum*, II. Idus Martii ediderit, ac Gordianus VII. Kalendas Maii, quo die aliam legem 6. *de collationibus* dediſſe legitur, adhuc in vivis fuerit; quum e Capitolino dicat ſe obſervaſſe, utrumque, Gordianum nempe, & Philippum, id temporis imperio praefuiſſe. Quod ſi verum, nec aliunde Gordianus ante Kalendas Julias periiſſe, quemadmodum pollicitus fuerat, probetur, non video, cur Ludi Capitolini, quibus interempti Balbinus, & Pupienus, celebrari non potuerint aeſtivo tempore, ut cenſet Petavius, ac Gordianus III., ex eo tempore uſque ad aeſtatem anni V.C. DCCCCLXXXXVII. Ch. 244., quod Philippi primordium, juxta ipſum Pagium, minime vetat, ſex annos imperii dinumerare, & Tribunitiam Pot. VII. inire. At, ut verum fatear, quia non ſatis mihi illa Pagii obſervatio arridet, quod nempe Philippus ſimul cum Gordiano III. aliquod tempus regnarit, ideo

nec

nec lubens praedictae Petavii, de tempore, quo obiti ludi illi, ſententiae ſubſcripſerim. Etſi enim Philippus maximam ſibi apud milites auctoritatem, atque imperium, uti ſcribit Capitolinus in Gordiano III. cap. XXIX. & XXX. adverſus ipſum Gordianum arripuiſſet; attamen ex eodem Capitolino cap. XXXI. conſtat, a Senatu ignoratum id prorſus fuiſſe, itaut quum Gordianus Philippi opera jam fuiſſet interfectus, ipſe Philippus *ne a crudelitate*, ait Capitolinus, *nanciſci videretur imperium, Romam literas miſit, quibus ſcripſit, Gordianum morbo periiſſe, ſeque a cunctis militibus electum*. Subjicit vero: *Nec defuit, ut Senatus de his rebus, quas non noverat, falleretur. Appellato igitur Principe Philippo, & Auguſto nuncupato Gordianum adoleſcentem inter Deos retulit*. Non itaque veri ſimile apparet, Philippum, vivente adhuc Gordiano, uti Auguſtum habitum fuiſſe, ac leges in particulari, quamadmodum autumat Pagius, nomine ſuo obſignatas edidiſſe. Porro eruditus Amicus, pro ea Pagii obſervatione tuenda, tres mihi nummos Philippi, Viminacii, quae Provinciae Moeſiae Superioris Colonia erat, percuſſos propoſuerat, in quorum alio apud Mediobarbum legitur AN. III. in alio AN. IV. & in alio AN V. Numerales eae notae annos diſignant, ajebat, a deducta Viminacio per Gordianum III. Colonia, *ſecundo anno imperii* ipſius Gordiani *exeunte*, uti ſtatuit Vaillantius tom. II. Numiſm. Coloniarum pag. 220., *aut tertio incboante*. Sunt autem nummi ejuſdem Coloniae tum apud Mediobarbum, tum apud ipſum Vaillantium Gordiano III. dicati cum AN. IV. & V.. Revera itaque, concludebat, Philippus partem anni III. totum annum IV. & partem anni V. ejus Coloniae, ſimul cum Gordiano regnavit.

Verum etſi neſcius non ſim, Vaillantium laudato loco, alioſque, cenſuiſſe, notas illas annos a deducta Viminacio Colonia ſignificare; nihilominus cum Emin. Noriſio in Diſſert. de Numiſm. Liciniani Licinii cap. VI. pag. 99. id plane falſum exiſtimandum, fatendumque, eam nobis rem in obſcuro adhuc latere. *Haec tamen obſervatio* (ait Cardin. doctiſſimus de ea loquens opinione) *falſitatis apertae convincitur. Etenim laudantur a Goltzio nummi Alexandri, & Juliae Maeſae cum epigraphe* COL. VIM. AN. I & AN. II. *Ex quibus patet Viminacium jure Coloniae exornatum antequam Gordianus ad Romanae rei faſtigium eveheretur. Praeterea in ſcriniis Numiſmatum Sereniſſ. Cardinalis ab Etruria in eadem tabella viſitur nummus Gordiani cum epigraphe:* COL. VIM. AN. V. *& duo Philippi quorum unus inſcribitur* COL. VIM. AN. III. *alter vero* AN. IV. *Itaque non exprimuntur anni a deducta Colonia, cum iidem nequaquam recta ſerie deducantur, ſed iterum ſub Gordiano, & poſtea imperante Philippo inchoati appareant*. Hic vides, Noriſium ex iis Philippi nummis AN. III. & IV. inſcriptis dictam potius interpretationem refellere, quum haudquaquam credibile ſit, ut ex Capitolino ſupra probavimus, Philippum una cum Gordiano Auguſtum fuiſſe, ac tandiu praeſertim, ut parte anni III. toto anno IV. & parte anni V. ſimul cum illo imperarit. Subjungit praeterea idem Noriſius: *Certe in Nummis Daciae non exprimuntur anni Coloniae deductae*. Non enim Dacia Colonia deducta fuerat: extantque praeterea nummi apud eundem Vaillantium ipſius Daciae cum AN. I. AN. II. & AN. III. Philippo, necnon cum AN. VII. Aemiliano percuſſi; quum ceteroquin a nece Philippi, uſque ad Aemilia-

milianum, plures ſane, quam quatuor anni, quidquid ſcribat idem Vaillantius, effluxerint. Praeter ſuperius a Noriſio laudatos Viminacii nummos, alios Tranquillinae, & Gordiani recitat Goltzius, in quorum alio viſitur AN. VI., in alio vero AN. VII., qui aeque ſupradictam Vaillantii ſententiam evertunt. At ad Ludos Capitolinos, quibus Balbinus, & Pupienus necati, redeundum.

Calviſius in opere Chronologico ad ann. poſt Ch. 238. pag. 493. Ludos illos celebratos exiſtimat ante menſem Aprilem ejus anni; idque colligit ex Capitolino in Gordiano III. cap. XXIII. qui poſtquam narraſſet Gordianum poſt Pupienum, & Balbinum extinctos, appellatum fuiſſe Auguſtum, ſubjicit: *Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod Eclipſis facta eſt, ut nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quidquam agi poſſet*. Eo autem anno contigit Solis Eclipſis die II. Aprilis feria II. horis quatuor ante meridiem. Verum quum duae per haec tempora Romae Solis Eclipſes viſae ſint, una anno praecedenti die XII. Aprilis hora IV. poſt meridiem, altera vero anno praeſenti, die, ut dixi, II. Aprilis hora IV. ante meridiem; ac quum Eclipſis anno praeſenti facta non ea videatur, quae noctem invehere potuerit, ſed id potius Eclipſi anni praecedentis conveniat, quum haec longe major illa extiterit, ut eas computavit Petavius lib. II. de Doctr. temp. cap. XXIV., hinc fit, ut allatum etiam a Calviſio argumentum plane corruat. Verum, ut ut res ſe habuerit, nimirum ſive Ludi Capitolini aeſtivo, aut verno tempora obiti ſint, ſive Eclipſis, quae non diu duraturum imperium Gordiani III. portenderat, ea fuerit, quae anno praecedenti, aut quae anno praeſenti viſa; id plane certum, quod Maximinus ad menſem uſque Octo-

brem ejuſdem anni V. C. DCCCCLXXXXI. Ch. 238., ut omnes, idemque ipſe Mediobarbus, conſentiunt, neutiquam imperare potuerit. Si enim ad praedictum menſem neque Balbinum, & Pupienum perveniſſe compertum, quanto minus, illum attigiſſe Maximinum, dicendum eſt? Fateor ſane, Panvinium, alioſque Maximini necem circa Kalendas Octobris, ex quodam perperam intellecto Herodiani loco, ſtatuiſſe. Verum is menſis non fuit praeſentis anni V. C. DCCCCLXXXXI. Ch. 238. ſed fuit praecedentis anni Ch. 237., quem etiam ipſe Panvinius, ex errore aeram Vulgarem anno uno praevertendi, anno V. C. DCCCCLXXXIX. alligavit. Melius itaque Emin. Noriſius, apud Pagium ad dictum annum Ch. 238. num. III., exiſtimat, Maximinum peremptum fuiſſe verno tempore, quum ex Herodiano lib. VIII. cap. IV. conſtet illum Aquilejam veniſſe, quum *ſolutae vicinorum montium nives, quas longa hiems duraverat, maximum torrentem effecerant;* quae certe vernae potius tempeſtati congruunt, quam autumnali. Quare ſi e Scriptoribus, atque ex nummis Maximinum quartum imperii annum attigiſſe, exploratum eſt, neque aliunde ad menſem uſque Octobrem anni V. C. DCCCCLXXXXI. Ch. 238. illius imperium eſt prorogandum, probe conſtat, neque ejuſdem imperii initium a menſe Octobri anni V. C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235. eſſe repetendum. Vides igitur, quae ex dilata ad menſem uſque Septembrem nece Elagabali, incommoda conſequantur. Si vero cum Dione, & Lampridio menſe Martio anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. laudati Imperatoris caedem ſtatuamus, atque in eundem menſem anni V. C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235. Ale-

xandri

xandri mortem, quemadmodum Maximini primordium conferamus, vides, ut bene omnia fluant, recteque anno V. C. DCCCCLXXXXI. Ch. 238. verno tempore, quo induratae hieme nives ſolvuntur, Maximinus, poſt delibatum quartum imperii annum, potuerit interfici.

Hactenus enumeratis incommodis, quibus obnoxiam Mediobarbi ſententiam vidimus, accenſendum id etiam judico, quod de Sanctis Martyribus Pontiano Papa, & Hippolyto Presbytero ſupra cap. I. monuimus. *Pontianus* (ſic legitur in Pontificali Bucheriano) *annos quinque; menſes duos, dies ſeptem. Fuit temporibus Alexandri, a Conſulatu Pompejani, & Pelignani. Eo tempore Pontianus Epiſcopus, & Hippolytus presbyter exules ſunt deportati in inſulam nocivam Sardiniam Severo, & Quinctiano Coſſ. In eadem inſula diſcinctus eſt* IV. *Kalendas Octobris, & loco ejus ordinatus eſt Anteros* XI. *Kalend. Decemb. Conſulibus ſupraſcriptis.* Quid ſignificent ea verba *Diſcinctus eſt*, quae varie varii, iique doctiſſimi, Hagiologi interpretati ſunt, haud moramur. Ii certe Conſules, nimirum Severus, & Quinctianus, fuere anni V. C. DCCCCLXXXVIII. Ch. 235. Perſequutio vero, qua Sancti illi Martyres exules in Sardiniam deportati fuere, ea ſane extitit, ut Bollandus tom. I. April. pag. XXII., Ruinartus Praefat. in Act. Martyrum pag. XLIX., aliique obſervarunt, quae excitata a Maximino, quem in *Eccleſiarum Antiſtites*, ex Euſebio lib. VI. cap. XXXVIII, & in *Sacerdotes, & Clericos*, ex Oroſio lib. LVIII. cap. XIX., exarſiſſe, plane manifeſtum. Qui autem fieri poteſt, ut eo anno, ſub ipſo Maximino Urbe exacti, & in Sardiniam relegati Pontianus, & Hippolytus fuerint, diſcinctuſque ibidem ſit Pontianus IV. Kalendas Octobris, ſi Maximinus

minus nonniſi ſub initium Octobris ejus annni, regnare inchoarit? Verius itaque menſe Martio ejus anni Alexandri interitus, & Maximini natalis juxta praedicta concludendus; quod ut fiat, neceſſe eſt, ut menſe pariter Martio anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. neces Elagabali, & Alexandri primordium illigetur.

At ſcio Dodwellum Diſſertat. Cyprian. XI. De Paucit. Martyr. §. L. quo arctioribus Maximini Perſequutionem limitibus coërceret, ac S. Hippolytum Portuenſem regionis ſuburbicariae Epiſcopum, cujus Natalis, in Martyrologiis, XXII. Auguſti aſſignatur, Martyrum albo expungeret, Maximinum, ſenſiſſe, nonniſi, poſt diem XIII. Auguſti anni Ch. CCXXXV. imperium arripuiſſe, quo die *Legem*, inquit, *habemus Alexandri Imperatoris in codice Juſtiniani. Ex quo obiter*, ſubjicit, *conſtat, quantum aberrarit a ſcopo vulgus Chronologorum, qui ante illum menſem conſtituunt Natalem Maximini. Ita fiet*, concludit, *ut, cum tanto intervallo abſuerit a Roma Maximinus, vix potuerit occidi eo anno Hippolytus Romae, ſi Auguſti* XXII. *paſſum credamus*. Ut autem, neque Auguſto anni inſequentis, eum pati, potuiſſe, demonſtret, addit, quod eo tempore nulla erat fortaſſe Romae poteſtas Maximini. *Proximo itaque anno*, inquit, *ineunte Imperatores facti ſunt in Africa duo Gordiani. Literas Gordiani Patris e Carthagine datas ad Senatum recitavit Junius Syllanus Coſ. ſuffectus Maii XXVII., ut legimus in bodierno Capitolino, vel Junii XXVI. ut emendat ex veteri editione Salmaſius. Ita menſe Auguſto*, concludit, *nihil potuit Romae Maximinus*. An Hippolytus hic Portuenſis, de quo in Martyrologiis die XXII. Auguſti, idem ſit ac cujus depoſitio in Kalendario Bucheriano cum Pontiani Depoſitione conjungitur ad diem XIII.

Augu-

Auguſti, ut ipſe Dodwellus eadem Diſſert. § XLIX., opinatur, diſceptarint alii. Id unum contendo, quod ſive XXII. Auguſti anni Ch. CCXXXV., ſive anni CCXXXVI., is Hippolytus paſſus dicatur, nil ei prorſus allatae a Cl. V. obſervationes officiant. Etenim Gordianos, quod poſtremum ſpectat, non anno Ch. CCXXXVI., ſed anno CCXXXVII., dictos fuiſſe in Africa Imperatores, ſatis evincitur ex iis, quae e Victore, tribuſque ejuſdem Maximini Inſcriptionibus, quas ſupra eodem hoc capite attulimus; ubi eum Imperatorem, ante Gordianorum inaugurationem, tertium Imperii, & Tribunitiae Poteſtatis annum libaſſe, monſtravimus. Quod vero ad alterum pertinet, nimirum quod in Codice Juſtiniani extet Lex Alexandri die XIII. Auguſti anni CCXXXV. data, id ſane argumentum haud multum vexare nos debet, quum earum legum ſubſcriptiones mendoſas quandoque eſſe, perſpicuum ſit, habeaturque reipſa in eodem Codice lib. IX. tit. I. num. 3. ejuſdem, ne remotiora exempla petamus, Alexandri Lex *data* III. *Non Febr. Alexandro A. Cos.* nimirum anno Ch. CCXXII., quo cum Elagabalo, quem in ea ſubſcriptione, uti in aliis ejuſdem anni legibus, ideo reticet, quod id nomen ex annalibus Senatus auctoritate eraſum fuerat, Conſulatum primum iniit Alexander, ac nihilominus certum ſit, ea die Alexandrum nondum fuiſſe Imperatorem. Certe Germanicam Maximini Victoriam anno CCXXXV. contigiſſe, idem ipſe Dodwellus, ni abs ſe diſſidere is velit, fateatur neceſſe eſt. *Nec plura*, inquit eodem loco de ipſo Maximino, *quam unius anni geſta commemorat Herodianus. Contulerat ſe in biberna Maximinus proximo vere in hoſtem moturus. Minatus enim eſt ſe exciſurum, ſubacturumque oceano tenus omnes Germanas barbaras nationes. Id quod*

etiam

etiam praeſtiturum credit Herodianus, ni domeſticis fuiſſet turbis impeditus. Proximo itaque anno ineunte Imperatores facti ſunt in Africa duo Gordiani. Exploratum autem eſt, Maximinum, quum in hiberna, juxta Herodianum, ſe contulit proximo vere in hoſtem moturus, Germanos jam deviciſſe. Quare ſi *Maturis jam ſegetibus*, ut late ſupra obſervavimus, eadem Victoria geſta, illa proculdubio ab eodem Dodwello aeſtate anni CCXXXV., atque ea tempeſtate, quo maturae ſegetes ſunt, erit conſignanda. Non itaque poſt diem tantum XIII. Auguſti ejus anni, ſed multo ante coepit regnare Maximinus; adeoque probe potuit, vel eo anno die XXII. Auguſti Martyrium ſubire Hippolytus.

Pro Capitis iſtius coronide, adnotaſſe, juvabit, parum etiam, ex eadem hucuſque rejecta Mediobarbi, & Vaillantii opinione, pro explicandis Aquiliae Severae, & Anniae Fauſtinae Numiſmatis L. E. inſcriptis, commodi, lucilve accerſiri. Dio apud Xiphilinum loquens de Elagabali uxoribus primum ſic ait: *Corneliam Paulam duxit in matrimonium, quo fieret pater, ſicut dicebat, celerius.* Paullo autem poſt addit: *Poſt haec repudiata Paula; quod maculam haberet in corpore, ſicuti dicebat, Aquiliam Severam duxit &c.* Tandem vero ait: *Neque tamen hanc* (Aquiliam Severam) *diu retinuit; ſed aliam poſt, deinde aliam, atque aliam duxit: dein iterum ad Severam rediit.* Quae fuerit tertia Elagabali conjux, ac quae reliquae duae, Dio non meminit. Herodianus tamen lib. v. cap. VI. licet tertiae uxoris nomen non prodat, illam tamen a Commodo genus ſuum deduxiſſe, tradit. *Sed eam quoque* (loquitur de Aquilia Severa) *paullo poſt dimiſit, tertia uxore ducta, quae referre ſuum genus ad Commodum dicebatur.*

Haec,

Haec, quae ab Herodiano genus ſuum ad Commodum referre, dicitur, eadem videtur, quae a Dione neptis Marci Antonini vocatur. *Quamquam erat* (loquitur de Pomponio Baſſo, quem interfici, juſſit Elagabalus) *alterum crimen in Baſſo, quod pulcherrimam uxorem, atque nobiliſſimam habebat. Ea erat Claudii Severi, & Marci Antonini neptis; quam ipſe poſtea* (Elagabalus) *uxorem duxit, nec ei, ut mariti mortem lugeret, permiſit*. Poſtremis hiſce Herodiani, & Dionis teſtimoniis ducti Mediobarbus, Vaillantius, aliique paſſim Antiquarii, cenſent, tertiam Elagabali uxorem fuiſſe Anniam Fauſtinam. Marcus enim Aurelius, cujus neptis a Dione ea dicitur, ex Annia gente oriundus erat, nam, ut tradit Capitolinus in ejus vita cap. 1., illius pater, avus, proavuſque Annii Veri dicti ſunt, patruus Annius Libo, & ſoror natu minor Annia Cornificia: Fauſtinae vero cognomen, ex eodem Capitolino laudato loco, amitae ipſius Marci Aurelii, quae Galeria Fauſtina, aviae ejuſdem paternae, quae Rupilia Fauſtina, ac ejus etiam uxori, quae conſobrina illi erat, atque Annia pariter Fauſtina vocabatur, commune erat. Habemus autem, apud Vaillantium in nummis Graecis, Juliae Corneliae Paulae nummos L. Γ. & L. Δ. *anno tertio*, & *quarto* percuſſos. Habemus praeterea, apud eundem Vaillantium, nummos Juliae Aquiliae Severae L. E. *anno quinto* obſignatos, ac tandem nummos Anniae Fauſtinae eodem L. E. *anno quinto* notatos. Nummos Aquiliae Severae eo quinto anno inſcriptos, poſt nummos Anniae Fauſtinae, quum Elagabalus nempe ad ipſam iterum Severam rediit, percuſſos putaverim. His porro conſtitutis, explicet Mediobarbus, & Vaillantius, qui fieri potuerit, ut quum Annia Fauſtina

 tertia

tertia Elagabali uxor extiterit, ſintque illius nummi anno quinto imperii Elagabali obſignati, ipſe Elagabalus intra menſem Junium anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222., quo quintum imperii annum attigit, & menſem Septembrem, quo tandem interfectus fuit, tam brevi ſcilicet trium circiter menſium ſpatio, duo alia conjugia inierit, ac demum ad Severam redierit. Scio equidem, a dementiſſimo Principe, uno etiam, alterove die, fieri haec potuiſſe; verum id factum, nonniſi aegre admodum credam. Neque juvat, quod Elagabalus, juxta Mediobarbum, & Vaillantium, non menſe Junio ejus anni, quintum annum imperii attigerit, ſed *A. D. Idus Aprilis*; quum hoc nimirum die, atque menſe anni V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218. imperium illi, vivente adhuc Macrino, a militibus delatum fuiſſe, ii Antiquarii ſtatuerint. Nam paeterquamquod, e duobus his circiter menſibus, non ea acceſſio temporis fit, qua Elagabalus plura illa matrimonia, ſatis commode, poſt inchoatum quintum annum, inire potuerit; neque video, unde ii praedicta die Elagabalum imperio potitum elicuerint. Dio enim ſeditionem enarrans, qua milites adverſus Macrinum tumultuari coeperunt, ac Lupum Moeſae nepotem, ipſum ſcilicet Elagabalum, Imperatorem, opera Eutychiani, acclamavere, id factum docet *τῇ ἕῳ τῆς τοῦ Μαΐου ἑκκαιδεκάτης prima luce diei decimae ſextae menſis Maii* non vero Idibus Aprilis. Parum itaque, vel ex illa Mediobarbi, & Vaillantii, de Elagabali morte ad Septembrem uſque differenda, opinione, pro laudatis explicandis Numiſmatis, utilitatis accedit.

CAPUT IV.

Proponitur prior Antonii Pagii, quam ipſe poſtea deſerit, praeſentis difficultatis ſolutio. Rejicitur alia ejuſdem Pagii ſolutio. Nummi ad Proceſſus Conſulares ſpectantes, non eſt neceſſe, ut ſint cuſi Kalendis Januariis, quibus Conſulatus ſuſcipiebatur. Dio perperam a Pagio pro ſua obſervatione allegatus. Expenduntur exempla, in confirmationem ſententiae Pagii, a Philippo a Turre Adriae Epiſc., in Epiſtola ad Joh. Anton. Aſtorium, allata Opinio ejuſdem, de nummis Anniae Fauſtinae, poſt Elagabali necem, percuſſis. Nummus Anniae Fauſtinae P. Chamillardi adulterinus.

PAgius ad annum Chriſti 218. num. v. quum pro certo haberet, Elagabalum, juxta Dionem, & Lampridium, die ſexta Martii, anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222., periiſſe, nummoſque, apud Occonem, & Mediobarbum, vidiſſet, in quibus is Imperator dicitur TR. P. V., cenſuit, inde apparere, eum acclamatum fuiſſe Imperatorem, ſaltem medio menſe Martio illius anni Ch. 218., ac ſi vere quintum annum Imperii non inchoavit, illum ſaltem proxime attigiſſe, itaut nummi illi in Romanis provinciis cudi, potuerint, antequam

nuncius necis ejus ad eas perveniſſet. Ex quo illud etiam intulit, Heliogabalum in Phoenicia minime creatum fuiſſe Imperatorem die decima ſexta menſis Maii, ut legitur apud Xiphilinum in ejus vita, ſed die decima ſexta menſis Martii, & apud Xiphilinum loco τῆς τῦ Μαΐυ ἑκκαιδεκάτης legendum τῆς τῦ Μαρτίυ ἑκκαιδεκάτης. Cujus emendationis aliam etiam addit rationem, quod nempe quae ab Hiſtoricis geſta narrantur, a die decima ſexta menſis Maii ad diem tertiam menſis Junii, qua (ut ipſe Pagius ſtatuerat) Macrinus in praelio victus, intra dies ſcilicet XVIII. neutiquam geri potuerint.

Non eſt, ut hoc loco hanc Cl. Viri animadverſionem, qua laudatos nummos cum ſua ſententia conciliat, refellamus, quum vel ipſe ad eundem annum num. x., ubi aliam proponit obſervationem, lubens illam, ac libens abjiciat. Quod tamen textum Xiphilini ſpectat de die, quo a militibus in Phoenicia Imperator acclamatus fuit Elagabalus, is mihi minime ſolicitandus videtur, quod, quae ab illo die, uſque ad tempus, quo cum Macrino pugnatum eſt, ab Hiſtoricis geſta narrantur, minime tam brevi ſpatio fieri, potuerint. Quae enim a Dione, & Herodiano recenſentur, quaeque ab ipſomet Pagio exſcribuntur, non video, cur perfici intra illud tempus, nequiverint, maxime quum a Dione, ſeu Xiphilino in Macrino dicatur, Elagabalum ὅτω ταχέως *tanta celeritate* adverſus Macrinum, poſtquam dictus fuerat Imperator, contendiſſe, ὥςε χαλεπῶς τὸν Μακρῖνον ἐν κώμῃ τινὶ τῶν Αντιοχέων, ἑκατὸν καὶ ογδοήκοντα τῆς πόλεως ςαδίυς ἀπεχέσης συμβαλεῖν αὐτῷ, *ut difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum, a quo centum octoginta ſtadia diſtabat urbs, cum eo conflixerit*. At alteram, quam

quam, repudiata priori, idem Pagius proponit, obſervationem perlegamus.

Poſtquam haec ſcripſeram (ait Cl. V. ad dictum annum Ch. 218. num. x.) *in manus meas venit nova editio Numiſmatum Imperialium Vaillantii, in qua exhibet nummum Heliogabali, ex quo deduco hunc Imperatorem ab anno ſuperiori, vel ſaltem a Kalendis Januariis currentis anni quo dictus eſt Imperator, annos ſuos numeraſſe. Extat enim ibi nummus ejus ſignatus* P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *& viſuntur quadrigae Imperatore aurigante, ubi is Antiquarius recte notat: Quadrigae ad Antonini Elagabali triumphum non pertinent, nullum enim egit, ſed ſpectant ad Proceſſum Cos. III. Poſtea repraeſentatur alius nummus cum proceſſu Conſulari in Quadrigis, &* TR. P. V. COS. IIII. *Ex quibus apparet primo die anni CCXX. Elagabalum tertium Imperii annum numeraſſe, & primo die anni CCXXII. annum quintum. Inde proceſſere tot numiſmata Graeca, & Latina in quibus legitur* ετοΥξΕ (corrige erratum Typographi: ΔΗΜ. ΕΞΟΥ. Ε.) *vel* TR. P. V. *quod aliunde procedere non poteſt, quam ex eo quod Heliogabalus Tribunitiam poteſtatem per anticipationem* προλάμβανων αὐτὸ *capeſſebat, ut inquit Dio. Indubitatum itaque videtur, hunc Imperatorem annos ſuos deduxiſſe a die, quo Eutychianus monitus fuit ab Oraculo Dei Heliogabali, ut Imperatorem nominaret praetenſum Caracallae filium, qui deſignatum fuiſſe Imperatorem ab illo Deo honori ducebat. Legatur Dio lib.* 78. *pag.* 888. *Quare Heliogabalus per anteceſſum Auguſti, & Caeſaris nomen cum imperio Proconſulari, ac Tribunitia poteſtate, ut habet Dio pag.* 907. *ſumſit, & paulo poſt ſe Conſulem dixit, ac Macrini nomen e Faſtis eradi juſſit, quia perſuaſum omnibus*

bus voluit, ſe jam a Kalendis Januariis Imperatorem legitimum fuiſſe, & Conſulatum ad ſe, non vero ad Macrinum pertinuiſſe. Porro licet haec verba Proceſſus in Quadrigis in nummis aliquando triumphum, & aliquando proceſſum Conſularem deſignent, in omnibus tamen Heliogabali hactenus viſis, nonniſi proceſſum Conſularem denotant, quia in iis cernitur Heliogabalus tenens in manu ſcipionem, qui eſt ornamentum Conſulare, & praeterea, ut jam dixi, nunquam is triumphavit.

Verba ipſa Cl. Pagii placuit exſcribere, ut facilius, quae ejus mens ſit, aſſequaris. Primum itaque contendit, Elagabalum ab anno V.C. DCCCCLXX. Ch. 217., aut ſaltem a Kalendis Januariis anni ſequentis, annos ſuos numeraſſe; idque ſe deducere, ait, e duobus illis numiſmatis a Vaillantio recitatis, quorum alterum epigraphen exhibet: P. M. TR. P. III. COS. III. P. P., ac viſuntur Quadrigae aurigante Imperatore, alterum vero habet: P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P., & cernitur Imperator in quadrigis dextra ramum, ſiniſtra ſcipionem eburneum. Utrumque nummum, praeeunte Vaillantio, dicit, ad proceſſus Conſulares Elagabali eſſe referendum, priorem ad proceſſum Conſulatus III. ab illo initi anno V.C.DCCCCLXXIII. Ch.220., poſteriorem ad proceſſum Conſulatus IIII. geſti anni V.C DCC. CCLXXV.Ch.222.Igitur primo die anni V.C.DCCCC. LXXIII. Ch. 220., quo tertium Conſulatum ſuſcepit, tertium annum, & primo die anni V. C. DCCCC. LXXV. Ch. 222. quintum annum Imperii Elagabalus numeravit. Ergo primo die anni V. C. DCCCCL. XXI. Ch. 218. primum etiam annum imperii numeraverat. Haec ut patet Cl. Viri ratiocinatio. Addit, Elagaba-

gabalum, qui nonniſi menſe Junio illius anni V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218. quo cum Macrino certatum, ſumma rerum potitus eſt, Tribunitiam ſuam poteſtatem per anticipationem ſumſiſſe, inque hanc rem Dionem, ac ex eo illa verba προλαμβάνειν αὐτὸ minus exacte citat. Id etiam paullo infra repetit, aſſerens ex eodem Dione pag. 907. Heliogabalum per anteceſſum Auguſti, & Caeſaris nomen cum imperio Proconſulari, ac Tribunitia Poteſtate ſumſiſſe. Contendit demum, annos ſuos deduxiſſe Elagabalum per ejuſmodi anticipationem a tempore, quo Eutychianus a Dei Heliogabali oraculo monitus fuerat, ut ipſum Elagabalum, Imperatorem nominaret, & in hanc rem petit, ut legatur Dio lib. 78. pag. 888. Omnia haec adnotavi, quum ſingula ſingulari, mihi quidem, examine digna videantur.

Quod ad palmarium e duobus illis numiſmatis erutum argumentum pertinet, illud nullius certe momenti eſſe, cenſeo. Eos nummos ad proceſſus Conſulares Elagabali pertinere, lubens admitto; quamvis, ſi dicatur, inſolentiſſimum, & cuncta pro arbitrio agentem Imperatorem propria etiam auctoritate ſibi ejuſmodi Quadrigarum honorem uſurpare, potuiſſe, non tam facile revinci id poſſe crediderim, quum e Lampridio cap. XXIII. Elephantorum etiam quadrigas, quae Parthico ceteroquin triumpho deſtinatae jamdiu erant, ut idem Pagius ad ann. Ch. 230. num. III. obſervat, etſi nullum triumphum geſſerit, agitarit. Verum his miſſis, dico, non ſatis apte ex eo, quod nummi illi ad proceſſus Conſulares Elagabali pertinuerint, eundem Elagabalum elici, primo die anni V. C. DCCCCLXXIII. Ch. 220. tertium annum, & primo die anni V. C.

DCC-

DCCCCLXXV. Ch. 222. quintum annum imperii numeraſſe. Etenim Vaillantius de num. aur. & arg. pag. 299. nummum recitat Alexandri inſcriptum: P. M. TR. P. V. COS. II. P.P., & cernitur idem Alexander in quadrigis dextra ramum, ſiniſtra ſcipionem eburneum. In eum autem nummum hanc ſubjicit is Antiquarius obſervationem: *Monumentum eſt pariter proceſſus Alexandri Conſulatus II. quem iniit an. V. C. 979. cum Quintilio Marcello*. Alium nummum ejuſdem Imperatoris laudat idem Vaillantius pag. 300. cum epigraphe: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. & viſitur Imperator in Quadrigis Conſularibus. *Alexander* (ſubjicit Vaillantius) *trium ſuorum Conſulatuum pompam conſtanter expreſſit . . . Tertium hunc cum Dione Caſſio ſuſcepit anno* 982., *cuſuſque eſt in rei memoriam nummus cum Trib. Pot. VIII. iniiſſet eodem anno*. Certum autem eſt, Alexandrum, Kalendis Januariis anni V. C. DCCCCLXXIX., quo die Conſul ſecundum proceſſit, quintum imperii, aut Tribunitiae pot. annum, & Kalendis Januariis anni V. C. DCCCCLXXXII., quo die Conſulatum tertium iniit, octavum annum Imperii, ac Tribunitiae pot. nequaquam computaſſe. Id enim non ſolum ex Dione, & Lampridio, quorum ſententiae Pagius ſubſcribit, perſpicuum fit, ſed evincitur etiam, ex plurimis, apud Occonem, & Mediobarbum, ejuſdem Alexandri numiſmatis, in quibus cum Conſulatu II. juncta viſitur Tribunitia ejus Pot. IIII. Pleraque etiam aliorum Imperatorum numiſmata, ad proceſſus illorum Conſulares ſpectantia, poſſem proferre, in quibus haud dubie, non eandem Tribunitiam Poteſtatem efferri, cernimus, ac quae ab iis, quum Conſules initio anni proceſſerunt, numerabatur.

Nomi-

Nomine itaque Proceſſus Conſularis haud is tantum indicabatur, quo primo anni die Conſules, ad capeſſenda Magiſtratus inſignia, prodibant, novo anno nomen daturi: de quo Proceſſu eleganter Claudianus, in fine Panegirici ad Manlium Conſulem:

Conſul per populos idemque graviſſimus Auctor
Eloquii, duplici vita ſubnixus in aevum
Procedat, pariter libris, faſtiſque legendus.

Verum eo nomine illi etiam omnes Proceſſus deſignabantur, quibus per annum, ingenti pompa, ad ludos pro delatis trabeis de more edendos, iidem Conſules ferebantur. Proceſſus hujuſmodi non ſemel aut iterum tantum a Conſulibus per annum obitos, omnino certum. De Gordiano Seniori ſcribit in ejus vita Capitolinus cap. III. *Quaeſturam magnificentiſſime geſſit; Aedilitatis ſuae tempore* XII. *populo Romano munera, ideſt per ſingulos menſes ſingula exhibuit.* Itaque Gordianus duodecies ad edendos ludos proceſſit, ut obſervat Eminentiſs. Noriſius in Diſſertat. de Numiſm. Impp. Dioclet. & Maximian. cap. V. pag. 40., qui propterea Conſtantini nummi epigraphen: FELIX. PROCESSUS COS. VI. AUG. N., quam pag. 35. de proceſſu Conſulatus VI ejus Imperatoris explicaverat, ſic etiam laudata pag. 40. interpretatur: *Felix proceſſus Conſularis Sextus Auguſti Noſtri:* itaut in eo numiſmate non quidem ſextus ejuſdem Conſulatus inſcribatur, ſed ſextus proceſſus, quum ſcilicet idem in Conſulatu ſextum ad edendos ludos exivit. Pluries quam duodecies ab aliquot Conſulibus, aliquando etiam fortaſſis proceſſum. Siquidem Juſtinianus in Novella CV. qua lata lege numerum Proceſſuum Conſularium definivit, ideo legem illam ſe ſanxiſſe, cap.

11. aſſerit, *ne dandorum*, (ideſt donationum, quae in iis proceſſibus populo fieri conſueverant) *immenſitate Conſulatus deſint*, additque: *& propterea ſuperfluas illas donationes, & expenſas abbreviamus, & in populum* EFFVSAS PROCESSIONES, *& ſpectacula ad bene ſe habentem deduximus menſuram*. Porro Proceſſuum numerus, quem is Imperator in dicta Novella cap. 1. decrevit, eſt, ut ſeptem forent. Prior proceſſus ſtatutus fuit pro Kalendis Januariis, quo Conſulatum ſuſcipiebant. Secundus, quum iterum procedebant, ſpectaculum certantium equorum, quam mappam vocabant, edituri. Tertius, quum ad exhibendum *Theatroquinegium* (ſeu melius *Theatrocynegium*, nam Graece, θεάτρου κυνήγιον) nimirum theatricam venationem, prodibant. Quartus, ad edendum ſpectaculum, quod dicebatur *totius diei*, & πάγκαρπον, quo homines cum beſtiis pugnabant. Quintus, quo ducebantur ad Theatrum, ubi ſcenici ludi agebantur. Sextus, ad danda iterum equorum certamina. Poſtremus tandem, quum Conſulatum deponebant. Neque vero, ad haec obeunda, ludorum Editores pedites cum reliquis Magiſtratibus in circum perrexiſſe, putandum eſt, ut ſenſiſſe videtur Panvinius in tab. lib. II. cap. II. Siquidem curru vectos eos fuiſſe, pluribus probat Emin. Noriſius in laudata Diſſertat. pag. 36.

Conſtat igitur, neceſſe haudquaquam fuiſſe, ut nummi ad proceſſus Conſulares ſpectantes, ſub anni initium, quo Conſules Magiſtratus inſignia ſumebant, percuſſi fuerint, ſed cudi infra annum potuere, quum ad ludos, ſpectacula, aliaque, id genus, feſta, pro ſuſcepto Conſulatu, exhibenda, prodibant; unde non mirum ſi iiſdem in nummis alia ſaepenumero Tribunitia poteſtas

lega-

legatur, ac quae ab illis, quum Conſules Kalendis Januariis proceſſerant, numeraretur. Non itaque ex eo, quod praedicti Elagabali nummi ad Proceſſus ejus Conſulares pertineant, alter nempe ad proceſſum Conſulatus III., alter ad proceſſum Conſulatus IIII., recte poteſt deduci, Elagabalum primo die anni V. C. DCCCCLXXIII. Ch. 220. tertium Tribunitiae pot. annum, & primo die anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. quintum Tribunitiae pariter pot. annum numeraſſe.

Age vero Dionem a Pagio allegatum, quo per *anticipationem*, ſeu *anteceſſum* Tribunitiam poteſtatem ſumſiſſe Elagabalum, adſtruat, adeamus. Libro LXXIX. pag. 907. haec habet Dio: Καὶ ἐν μὲν τῇ πρὸς τὴν βουλὴν ἐπιστολῇ, τῷ τε πρὸς τὸν δῆμον γράμματι, ϗ αὐτοκράτορα, ϗ καίσαρα, τοῦ τε Ἀντωνίνου υἱὸν ϗ τοῦ Σεβήρου ἔκγονον, εὐσεβῆ τε, ϗ εὐτυχῆ ϗ Αὔγουστον, ϗ ἀνθύπατον, τήν τε ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν ἔχοντα αὐτὸν ἐνέγραψε προλαμβάνων αὐτά. Sic vertit Xilander: *In epiſtola quam ad Senatum, & ſcripto quod ad populum miſit, & Imperatorem, & Caeſarem ſe, filiumque Antonini, Severi nepotem, pium, felicem, Auguſtum, proconſulem, Tribunitiae poteſtatis inſcripſit, haec nomina nec dum ſibi decreta prior occupans.* Poſtrema illa verba προλαμβάνων αὐτὰ Xilander, ut patet, reddit: ***haec nomina necdum ſibi decreta prior occupans***. Pagius vero intelligit, quod per anticipationem, relate nempe ad tempus, quo Eutychianus monitus fuerat a Deo Elagabalo, ut illum Imperatorem nominaret, ſibi eadem nomina ſumſerit. Priorem Xilandri interpretationem omnino accommodam eſſe, textumque ipſum legentibus maxime obviam, poſteriorem vero Pagii plane infirmam, obtortamque, nemo non videt. At idem Dio ſui ipſius interpretem agit

Digitized by Google

pag. 909., ubi recenſens, quae a recepta conſuetudine aliena, ſeu παρὰ τὸ καθεστηκὸς, Elagabalus novaverat, id primum ab eo factum ait, ὅτι τῶν ὀνομάτων τινὰ τῶν ἐς τὴν ἡγεμονίαν αὐτῷ τεινόντων, πρὶν ψηφισθῆναι, ὥσπερ εἶπον, αὐτὸς ἑαυτῷ ἔθετο: *quod ex iis pleraque nominibus, quae ſpectabant ad imperium, ipſe ſibi priuſquam eſſent a ſenatu decreta, ſicut dixi, ſumſit*. Non idem eſt ſane, ſibi illa ſumere nomina πρὶν ψηφισθῆναι, ac eadem *per anticipationem*, quemadmodum priora verba προλαμβάνων αὐτὰ interpretatus eſt Pagius, adſumere.

Morem tandem eidem Pagio geramus perlegendo, quae apud Xiphilinum habet Dio pag. 888. Utar vero Xilandri interpretatione, quum haud opus ſit, Graecum ipſum textum conſulere: *Eutychianus libertus Caeſarianus, homo ludicrus, nec ignarus ejus odii, quod milites in Macrinum conceperant, perſuaſuſque a Sole, quem vocant Heliogabalum, coluntque maxime, atque aliis vaticiniis adductus eſſet, ſtatuit, Macrinum occidere, & Lupum Moeſae nepotem licet puerum adhuc, pro eo imperatorem facere; ac utrumque perfecit. Finxit enim hunc eſſe Tarantis ſpurium filium, ornatumque veſte, qua ille uſus fuerat puer, noctu, matre, aviaque inſcientibus, ad exercitum duxit: & XVI. Kalendas Junii prima luce, militibus ſtudioſe quaerentibus occaſionem rebellandi, perſuaſit, ut res novas molirentur. Quo facto milites ſtatim hunc nominant Antoninum, & Imperatorem deſignant.* Haec laudato loco ad rem Dio. E quibus illud quidem perſpicue habemus, quod Eutychianus a Sole perſuaſus, aliiſque vaticiniis adductus Macrinum occidi, & Elagabalum Imperatorem fieri, curaverit. At quo tempore, antequam ipſe Elagabalus a militibus XVI. Kalendas Junii, ſeu τῇ τοῦ Μαΐου ἑκκαιδεκάτῃ reapſe nominatus fuit Imperator,

tor, ea edita fuerint oracula, nil prorſus Dio; imo ſi narrationem ipſam ſpectemus, ex ea potius apparet, haud multum temporis, ab iis ſuſceptis oraculis ad praedictam militum acclamationem, fluxiſſe. Quod ſi verum, vel hinc patet, Elagabali initium, quod *per anteceſſum* ab edito Solis oraculo repetere Pagius contendit, perperam ad annum uſque praecedentem V. C. DCCCCLXX. Ch. 217., aut etiam ad initium currentis V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218. ab eodem Pagio retrahi.

Quae in fine capitis praecedentis contra Mediorbabi, & Vaillantii ſententiam de Nummis Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae L. E. *anno* V. inſcriptis, ac de aliis duobus ab Elagabalo poſt Anniam Fauſtinam, & ante reditum ad Severam, initis conjugiis, notavimus, Pagio etiam hic objici, poſſunt, quum ſtatuit, ab initio ſaltem anni V. C. DCCCCLXXI. Ch. 218. Elagabalum annos ſuos numeraſſe. Si enim initio dumtaxat anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. quintum annum inchoaviſſet, quum menſe poſtea Martio ejuſdem anni interfectus fuerit, tot certe conjugia intra bimeſtre illud ſpatium contrahere non potuiſſet. Haec de Cl. Pagii ſententia, cui vel ipſe, in privatis ad Amicum epiſtolis, olim adhaeſeram, ſatis.

Verumtamen quum haec ſcripſiſſem, prodiit Venetis typis, Diarii Literatorum Italiae tom. IV. pag. 361. inſerta Praeclariſſimi Adriae Epiſcopi Philippi a Turre Italica ad Joh. Antonium Aſtorium notae eruditionis virum, in elegans Anniae Fauſtinae Numiſma Epochae Damaſcenorum anno ΕΛΦ DXXXV. inſignitum, Epiſtola, in qua quum vel ipſe Dionis ſententiam, de imperii Elagabali annis, probaſſet, nummos poſtea ejus Impera-

peratoris TR. P. V. notatos conciliaturus, eandem Pagii opinionem, quod Elagabalus Tribunitiam Poteſtatem, atque annos imperii a Kalendis Januariis anni Ch. 218. numerarit, non modo uti meliorem, ſed tanquam plane certam pag. 375. amplexus eſt, addens pag. 376., haud nobis deeſſe perſimilis anticipationis exempla, quum Senatus etiam, juxta Cenſorinum de Die Nat. cap. XXI., Octavium Caeſarem nonniſi die XVII. Januarii Auguſti nomine honeſtarit, at coeperint nihilominus anni Auguſtales numerari a Kalendis praecedentibus. Non is ego ſum, qui cenſoria virga Illuſtriſſimi, ac de re literaria praeclare meriti Praeſulis judicium, valeam, aut auſim, notare. Obſervo tamen, longe eſſe diverſam rationem, cur annorum Auguſtalium, ſeu Aerae Auguſtorum primordium, atque initium imperii Elagabali a Kalendis Januariis peti debuerint. Siquidem etſi nonniſi die decima ſeptima Januarii, Octavius Caeſar Auguſti titulo ornatus fuerit, aut (quod ea in re magis fortaſſis eſt attendendum) ſeptima dumtaxat die ejuſdem menſis univerſum populi & ſenatus imperium is omnium primus ſuſceperit, ut liquet ex Inſcriptione Narbonenſi apud Gruterum pag. CCXXIX.; attamen Romani, ut novae illius praeclaraeque Epochae initium celebri quopiam die figeretur, Kalendis illud Januariis, quibus anni etiam eorum civiles auſpicabantur, conſignarunt, quum ab iis praeſertim ad diem ſeptimum, quo ſumma rerum poteſtas collata illi fuit, aut ad diem decimum ſeptimum, quo Auguſti nomen tributum, tam pauci dies effluxiſſent. Elagabalus vero, quum nonniſi menſe Junio, poſt quinque ſcilicet a Kalendis Januariis exactos menſes, imperium adeptus ſit, nulla adeſſe ratio videtur,

tur, cur ab ipſis Kalendis Januariis annos ſuos exordiri voluerit, maxime quum ſolenne jam eſſet, ut iidem anni ab initi imperii die computarentur.

Quod vero e contrario eadem pag. 376. ſubjicit, Julium etiam Caeſarem Pompejum quidem ſub initium Autumni deviciſſe, quo jacta fuere Monarchiae fundamenta, at annos nihilominus Imperii, ſeu Aerae Caeſarianae, nonniſi a Kalendis Januariis anni inſequentis numeratos; Id profecto nil Pagii ſententiam juvat, nam ſi ita factum, quod tamen verti quoque in dubium poſſet, ideo factum, quia Julius Kalendis ipſis Januariis, ejus anni *Dictaturam annuam* (ut ille ipſe ait in Monumentis veteris Antii pag. 116.) *extra exemplum ſibi delatam apud Alexandriam iniit, & Conſul ſolus proceſſit : quo rationem, & jus Monarchiae, & legitimi Principatus ſtetiſſe, nemo non videt*. *Unde* (addit) *tunc vere, ut ait Euſebius in Chronico*, ſingulare arripuit Imperium, *& tunc canente Auſonio in Caeſaribus:*

Imperium, binis fuerat ſolemne quod olim
Conſulibus, ſolus Julius arripuit.

Quoad illud autem, quod poſtremo adjicit, Juſtinum quoque Juniorem medio menſe Novembri imperium iniiſſe, ac nonniſi a Kalendis pariter Januariis ſequentis anni, annos ſuos numeraſſe, quod in Monumentis etiam Veteris Antii tradiderat; veniam det Cl. Praeſul, ſi, ad incudem id revocare, contendam. Etenim, ni fallor, is in primis ſupponit, Juſtinum Juniorem, qui Kalendis Januariis anni Chriſti DLXVII., ut probat Pagius ad illum annum num. 1., Conſulatum iniit, Juſtiniano ſucceſſiſſe medio menſe Novembri anni dumtaxat praecedentis DLXVI., quae eſt etiam

etiam opinio Labbei in Chronico, Cointii tom. II. anno DLXVI. & tom. III. anno DCLXIX. num. XXVII., aliorumque Recentiorum: ac eundem Juſtinum, deinde putat, nonniſi a Kalendis ipſis Januariis ſupradicti anni DLXVII. annos ſui imperii computaſſe. Utrumque autem erroris revincitur ex praeclaro cujuſdam Boetii Epitaphio, Romae olim in Vaticano Coemeterio reperto, & in atrium Eccleſiae S. Angeli poſtea translato, quod recitatur a Paulo Aringho tom. I. Romae Subterran. lib. II. cap. X., & Reineſio in Syntagm. Inſcript. pag. 912., & e quo pauca haec adrem hic exſcribimus.

✠ DEP. EST BOETIUS. CL. P. OTC. KAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DOM N. JUSTINO. PP. AUG. ANN. XII. ET. TIBERIO CONST. CAER. ANN. III. &c.

Ea Indictio XI. non coepit niſi menſe Septembri anni Ch. DLXXVII.; nam quamvis per ea tempora Indictionum anni ab aliquibus a menſe etiam Januario deducerentur, illam tamen non hoc menſe, ſed menſe revera Septembri praecedenti coeptam fuiſſe, demonſtrat annus III. Imperii Caeſarei Tiberii Conſtantini eodem Epitaphio inſcriptus. Tiberius enim a Juſtino Caeſar renunciatus fuit menſe Decembri anni DLXXIV., ut probat Pagius in Crit. Baron. ad eum annum num. VII. VIII. & IX.; unde ſi illa Indictio XI. coepiſſet Kalendis Januariis anni Ch. DLXXVIII. concurriſſet haud dubie cum Tiberii anno IV., non autem cum III. Coepit igitur menſe Septembri anni DLXXVII. At quum *octavo Kalendas Novembris*, ſeu die XXV. Octobris eadem concurrerit cum anno Juſtini XII., hi certe Juſtini anni, neceſſe eſt, ut ante menſem Novembrem anni

Ch.

Ch. DLXVI., & multo magis ante Kalendas Januarias anni DLXVII., inchoati ſint; nam alias non concurriſſet illa Indictio cum anno ejus XII., ſed dumtaxat cum XI. Non itaque Juſtinus imperium iniit menſe Novembri anni Ch. DLXVI., ſed potius menſe Novembri anni DLXV., ut recte oſtendit Pagius ad eundem annum num. III., aliiſque locis in annis ſubſequentibus: neque a Kalendis Januariis anni DLXVII. annos imperii numeravit. His addo, quod tantum abeſt, ut Juſtinus a tempore, quo Conſulatum ſuſcepit, annos imperii putarit, quin potius annos ipſos imperii ab annis Conſulatus idem ipſe diſerte diſtinxerit. Siquidem notandum eſt, Juſtinum, quum Conſulatum, qui ab aliquot annis, nimirum poſt Conſulatum Baſilii Junioris, pene abrogatus cenſebatur, reſtituit, ſeu novam potius ejuſdem Conſulatus formam, qua is nempe a ſolis Auguſtis, ſine Collega, ac perpetuo, gereretur, invexit, ſtatuiſſe etiam, ut ab eodem Conſulatu, non minus quam ab Imperio, Auguſtorum anni numerarentur; qui ſane mos ab ipſo Juſtino uſque ad Conſtantinum Pogonatum perduravit. Extant itaque apud Julianum Anteceſſorem duae ipſius Juſtini Novellae, quorum altera, quae eſt ad Spem in Deum Archiepiſcopum Provinciae Byzacenae, his verbis ſubſcribitur: *Dat. Kal. Majas Conſtantinop. Imperii Domini Juſtini* PP. *Aug. anno* III. *Conſ. ejuſdem* II.; altera vero, quae eſt *De Filiis liberarum*, ſic ſignatur: *Dat. Kal. Mart. Conſtantinop. Imp. DN. PP. Aug. Juſtini ann.* V. *Indict.* III. *Quaeſtor* (qui de more ſubſcripſit) *legi. Dat. Kal. Mart. Conſtantinop. Imp. DN. Juſtino PP. Aug. ann.* V. *poſt Conſ. ejuſdem DN. ann.* II., ubi tamen loco *ann.* II. legendum eſt, ut recte ob-

ſervat Baluzius in Notis ad Capitularia Regis Francorum pag. 1255., *ann.* IV. Duas alias ejuſdem Juſtini Novellas ſimilibus ſubſcriptionibus notatas exhibet Scrimgerus. Earum prior ſignatur: *dat. XV. K. Jun. Conſt. Imp. DN. Juſt. PP. Aug. anno VII. poſt Conſ. ejuſdem anno III.* Poſterior vero: *dat. XV. K. Febr. Const. Imp. DN. Juſt. PP. Aug. ann. VIII. poſt Conſ. ejuſdem ann. III.* Sed emendandi ſunt in utraque anni poſt Conſ., nam in priori legendum, *ann. VI.*, & in altera *ann. VII.* Fateor tamen, e Corippo colligi videri, Juſtinum annos ſuos a Kalendis ipſis Januariis, quibus Conſul proceſſit, deduxiſſe. Siquidem is ſcriptor lib. 4. de ejus laudibus, ut recte idem illuſtriſſ. Praeſul in Monumentis Veteris Antii pag. 116. obſervat, loquens de Proceſſu ejuſdem Conſulatus, haec ait:


Hinc veſter primus feliciter excipit annus,
Votaque pluratuis celebret nova Roma triumphis.

Verum quum ex dictis ſuperius conſtet, Juſtinum non modo annos imperii a tempore, quo Conſulatum ſuſcepit, non computaſſe, ſed expreſſe annos imperii ab annis Conſulatus diſtinxiſſe, aliud proculdubio iis carminibus indicaſſe Corippum, ac quod prima fronte apparet, putandum eſt. Dici itaque poteſt, quod quum Juſtinus Conſulatum jam pene abrogatum reſtituiſſet, atque ab eo, utpote perpetuo ab Auguſtis gerendo, non minus quam ab imperio eorundem Auguſtorum annos numerari, conſtituiſſet, probe ideo Corippus, annum illum, quo Juſtinus Conſulatum auſpicatus eſt, primum ejus annum, Epochae ſcilicet a Conſulatu deductae, vocaverit; eo vel maxime quia, quum poſt Baſilium Juniorem, nimirum a viginti quinque annis, nemo Conſulatum iniiſſet, atque id ſummope-

mopere populo, ob miſſilia praeſertim ab ipſis procedentibus ſpargi ſolita, diſplicuiſſet, propterea, quum Conſulatum a Juſtino, ingenti pompa, magnaque munerum largitione, renovari, inſpexere, gaviſi adeo cuncti fuere, ut aevum veluti inſtaurari, ac felicia Auguſti Saecula rediiſſe, cenſuerint. Sic etenim, quum Conſul is prodiiſſet, apud eundem Corippum, a Senatu acclamatum:

Salve Auguſtorum numeri non ordine prime
Sed meriti; largitor opum, largitor honorum,
Libertatis apex, mundi caput, unica virtus,
Et rerum manifeſta ſalus, reparator opimi
Nominis. Antiqui redeunt nova ſaecula faſti,
Auguſti primum renovaſti Caeſaris aevum:
Clarius eſt, meliuſque tuum: tua gaudia tecum:
Hinc veſter primus feliciter excipit annus,
Votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis.

Quia vero idem Illuſtriſſ. Antiſtes in laudata Epiſtola profert e Muſeo Cl. P. Chamillardi nummum Anniae Fauſtinae in averſa parte inſcriptum ΕΠΙ ϹΤΡ ΚΥΡΙΝΟΥ ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ ΑΟϹ *Sub Praetore Cyrino Raphaneotarum CCLXXI.*, quem primum anno 1706. menſe Octobri, brevi in illum adjecta Diſſertatione, edidere eximii Ephemeridum Trevoltianarum Scriptores, quique enimvero Mediobarbi ſententiae, jam a nobis Capite praecedenti rejectae, favere mirum in modum, videtur; haud aegre propterea tum ipſe Cl. Praeſul, tum iidem Trevoltiani Scriptores ferant, ſi nonnulla hic, unius veritatis ſtudio, circa id numiſma, ſubjiciam. En porro illud vel a nobis ob oculos poſitum.



Sane quum Dionis ſententia, de annis imperii Elagabali, a nobis cap. III. & IV. ſatis firmata videatur, ac Mediobarbi contra opinio pluribus obnoxia incommodis monſtrata ſit; haud levem in primis difficultatem exiſtimo, quae adverſus hunc nummum ex inſcripto Aerae Raphaneotarum, quae eadem, atque Antiochenorum, putatur, anno CCLXXI. emergit. Quum enim is annus nonniſi Autumno anni V. C. DCCCCLXXV. Ch. 222. inchoarit, ac Elagabalus, Anniae Fauſtinae vir, menſe Martio, juxta dicta, necatus, fuerit imo ante ſui necem, ea repudiata, aliam, atque aliam duxerit, ac demum ad Aquiliam Severam redierit, mirum videtur, ut eo tempore nummi illi Auguſtae dicati ſint.

Neque vero nuperae ejuſdem Cl. Adriae Epiſcopi, in ſaepe memorata Epſtola, opinioni acquieverim, quod a Severo Alexandro is illi nummorum honos tributus ſit; nam licet aliquot exempla afferat, quibus Auguſtorum uxores, etiam poſt mortem virorum, Auguſtas nuncupatas oſtendat, haud probat tamen, nummos quoque iis

per-

percuſſos. Livia certe, & Agrippina, ut inquit pag. 379., quemadmodum etiam Antonia, poſt conjugum exceſſum Auguſtarum dignitatem, imo addo etiam nummos, obtinuere; at duae quidem priores a ſucceſſoribus filiis; poſtrema vero, nempe Antonia, a Cajo Caligula ejus nepote, qui & Sacerdotem Auguſti eam renunciavit, illique omnes Veſtalium honores detulit. Lucillae quoque, poſt mortem Veri, idem titulus, ac principatus inſignia relicta fuere, ſed primum ſane a Patre, deinde vero a Fratre. Num autem Manlia Scantilla, poſt peremptum Julianum Auguſtae nomen, quod Didiae Clarae ſublatum fuit, retinuerit, haud ſatis conſtat. Quod vero poſt mortem Caracallae *nihil* Juliae Domnae *de regio famulatu ejus aut de ſtipatoribus, quos ſecum habebat*, immutatum ſit, id pura Macrini indulgentia conceſſum eſt, atque ideo fortaſſis, ut abs ſe interfecti filii ſuſpicionem omnino amoveret, quemadmodum eadem de cauſa Divinos honores eidem Caracallae decrevit, ac de ejus morte ad Senatum, ut ſcribit Capitolinus in Macrino cap. v., *literas miſit. Divum illum appellans, excuſanſque ſe, & jurans, quod de caede illius neſcierit*. Ut ut tamen ſit, is certe honos praeter ſpem eidem Juliae contigit; nam illa, ut tradit Xiphilinus, *cognita filii caede, ita affecta eſt, ut ſe graviter percuteret, ac mortem ſibi conſciſcere conaretur. Eum enim, quem vivum oderat, lugebat mortuum; non quod cuperet illum vivere, ſed quod ipſam PRIVATAM VITAM DEGERE OPORTERET: ob eamque cauſam vexabat Macrinum omnibus contumeliis. Sed poſtquam ille non modo nihil de regio famulatu ejus, aut de ſtipatoribus, quos ſecum habebat cuſtodiae cauſa, immutavit; verum etiam multa ad eam percommode*

ſcripſit;

ſcripſit; coepit BONA SPE INJECTA deſiderium mortis deponere. Abſque dubio Annia Fauſtina ab Elagabalo dimiſſa, ac repudiata jam fuerat. Ac licet demus, Puellam patricii generis, cujus meminit Herodianus initio lib. VI., Severo Alexandro nuptam, ac poſtea a Mamaea Alexandri matre aula exactam, rogaſſe, quemadmodum ille pag. 382. contendit, ut ſibi ſaltem Auguſtae nomen relinqueretur, (quod ceteroquin minime ſcribit Herodianus) ea tamen ab Alexandro haud repudiata, pulſave fuerat, Marito namque chara, grataque in primis erat, ſed a ſola Mamaea, *invito, coactoque Alexandro* per omnem contumeliam ejecta. Sed ignoſcat Illuſtriſſ. Praeſul, ſi ab Herodiano illud minime dictum praenotarim. Siquidem ea verba, *& cum ipſa tantum vocari Auguſta vellet*, quae in ſuum is ſenſum laudata pag. 382. allegat, non de Puella, ſed de ipſa Mamaea Alexandri matre ſunt accipienda. En textus integer Herodiani, cum perpolita Angeli Politiani, meaque etiam ad verbum adjecta interpretatione.

Verſ. Polit.	Tex. Herod.	Ad verbum.
Dedit item filio in matrimonium puellam patricii generis, quam, etiam marito charam gratamque in primis, eadem paullo poſt aula per omnem contumeliam exegit. ET CUM IPSA TAN-	Ἠγάγετο δὲ αὐτῷ καὶ γυναῖκα τῶν εὐπατριδῶν, ἣν συνοικοῦσαν καὶ ἀγαπωμένην μετὰ ταῦτα τῶν βασιλείων ἐδίωξεν. ἐνυβρίζουσά τε καὶ βασίλισσα εἶναι θέλουσα μόνη, φθονοῦσά τε τῆς προσηγορίας ἐκείνῃ, εἰς τοσοῦτον προεχώρησεν ὕβρε-	*Collocavit autem illi* (Mamaea Alexandro) *in matrimonium feminam patricii generis, quam cohabitantem, & dilectam poſtea regiis aedibus exegit. Contumeliaſque inferens, ET AU-*

TANTUM VOCARI AUGUSTA VELLET, EAMQUE APPELLATIONEM PUELLAE INVIDERET, eo contumeliarum provecta eſt, ut puellae pater, quamvis magnae apud Alexandrum generum auctoritatis, impatiens Mammaeae injuriarum, quas ipſi, nataeque inferebat, confugerit in caſtra, gratiam ſe habere Alexandro dictitans habiti ſibi honoris; ceterum Mammaeam accuſans nihil non contumeliae inferentẽ. Quare indignata mulier, eum quidem interfici juſſit, puellam vero aedibus imperatoriis exactam, in Africam relegavit.

ὕβρεως, ὡς τὸν πατέρα τῆς κόρης, καίτοι ὑπ' Ἀλεξάνδρου γαμβροῦ ὄντος πάνυ τιμώμενον, μὴ φέροντα τὴν Μαμαίαν ἐνυβρίζουσαν αὐτῷ τε καὶ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ, φυγεῖν εἰς τὸ στρατόπεδον, τῷ μὲν Ἀλεξάνδρῳ χάριν εἰδότα ἐφ' οἷς ἐτιμᾶτο, τὴν δὲ Μαμαίαν αἰτιώμενον ἐφ' οἷς ὑβρίζετο. ἐκείνη δὲ ἀγανακτήσασα, αὐτόν τε ἀναιρεθῆναι ἐκέλευσε, καὶ τὴν κόρην ἐκβληθεῖσαν τῶν βασιλείων, εἰς Λιβύην ἐφυγάδευσε.

AUGUSTA SOLA ESSE VOLENS, EAMQUE ILLI INVIDENS APPELLATIONEM, eo proceſſit contumeliae, ut pater puellae, quamvis ab Alexandro genero in honore plurimum habitus, haud ferens Mamaeam contumelias ei, nataeque ipſius inferentem, fugerit in caſtra, Alexandro quidem gratiam habens propter honores, quibus afficiebatur, Mamaeam vero incuſans propter contumelias, quas patiebatur. Illa vero indignata, & eum de medio tolli juſſit, & puellam aula ejectam in Africam relegavit.

Ex adducto Herodiani textu jam patet, ad quam verba illa, ex Politiani interpretatione, *& cum ipſa tantum vocari Auguſta vellet*, ſint referenda. Quare quum non de

Puella,

Puella, ſed de Mamaea ea dicta ſint, quis eandem Mamaeam, feminam ſcilicet adeo contumelioſam, ſuperbam, ac quae *Auguſta ſola eſſe* vellet, idque nomen vel nati ſui uxori invideret, tuliſſe credat, ut Anniae Fauſtinae, perditiſſimi Imperatoris, cujus antea cadaver diu per totam urbem raptatum in Tyberim demum projectum fuerat, conjugi, non modo illud nomen, ſed vel regius famulatus, principatus inſignia, idemque ipſe numiſmatum honos manſiſſet? Quod Annia vero plurimum apud Alexandrum, ut inquit pag. 383. & ſequentibus, gratia polleret; id ſane omnes ſilent Hiſtorici; imo ſi verum, eo illam magis Mamaea, prae invido ſuo, difficili, contumelioſoque ingenio, odiſſet.

At neque ſatis intelligo, cur idem Cl. Praeſul, ipſam Anniam Fauſtinam Alexandro ſanguinis conjunctione devinctam, pag. 384. & ſequentibus, aſſeruerit. Etenim etſi non dubitem, Anniam hanc M. Aurelii neptem fuiſſe, proindeque e clariſſima Antoninorum familia profectam, non tamen video, cur revera eidem familiae Severus quoque Alexander ſit accenſendus. Is certe Antonini nomen, ſibi a Senatu delatum, recuſans, primam ejus repudii cauſam id fuiſſe, apud Lampridium in Alexan. cap. IX., faſſus eſt, quod diſpliceret, *alienae familiae nomen aſſumere*. Scio equidem, Alexandrum a Xiphilino Antonini Caracallae filium dici, eoque titulo, quemadmodum Severi nepotis appellatione, plurimis in Inſcriptionibus, inſigniri. At quae Antonini Caracallae, & Septimii Severi, cum veris Antoninis, aut Aureliis, e quibus genita Annia, neceſſitudo? Caracalla, ſeu Baſſianus, Antonini nomen a Patre tum tantum accepit, quum apud Viminatium Caeſar fuit appellatus, ut tradit Spartianus in Severo

cap.

cap. x., atque idcirco id illi nomen appoſitum fuit, quod Severus, ut ibidem ait Spartianus, *ſomniaverat, Antoninum ſibi ſucceſſurum*, aut, ut alii, apud eundem Spartianum putant, *quod Severus ipſe in Marci familiam tranſire voluerit*, non quod reipſa idem Severus, ac Caracalla, ex Marci ipſius, aut Antoninorum, ſanguine orti fuiſſent. Hinc, ut opinor, Alexander, apud Lampridium cap. x., in Senatu, de Auguſti, & Antonini nominum diſcrimine, diſſerens, idem Antonini nomen affectatum in Caracalla vocavit, & ridiculum in Elagabalo. *Antonini ipſi*, inquit, *Auguſti dicti ſunt. Antoninus idem Pius Marcum, & item Verum jure adoptionis vocavit: Commodo autem hereditarium fuit, ſuſceptum Diadumeno, AFFECTATUM IN BASSIANO, RIDICULUM IN AURELIO:* Quo tamen poſtremo loco, pro *Aurelio* legendum proculdubio *Vario*, quod erat nomen Elagabali, quemadmodum ſuſpicati quidem nos prius fueramus, ac in Codice poſtea MS. noſtrae hujus Abbatiae Florentinae, ita legi reapſe, deprehendimus. Severum etiam Marci filium, & Commodi fratrem ſe dictitaſſe, teſtatur Xiphilinus, docentque plurimae ejus Imperatoris Inſcriptiones; at plane certum, illum, qui Africa oriundus erat, haudquaquam iis vere fuiſſe conjunctum. *Hunc exitum* (ait idem Xiphilinus in Commodo) *Commodus habuit . . . . in quo DOMUS VERE AURELIORUM principatum amiſit*. Si itaque nulla fuit Caracallae, ac Severi cum veris Aureliis neceſſitudo, neque Alexandri ulla erit cum Annia Fauſtina, ex veris Aureliis profecta, cognatio.


Quid autem ad alterum Anniae Fauſtinae numiſma, Epochae Damaſcenorum anno ΕΛΦ DXXXV. ſignatum,

ac ab eodem Cl. Praeſule memorata ratione vindicatum, dici poſſit, prorſus ignorem. Si revera ejus nummi antiquitati alia non obſtent, videndum, num fortaſſis in litera E levia aliqua veſtigia deprehendantur, quibus argui poſſit, illam primum fuiſſe B, nummumque proinde notatum fuiſſe anno ΒΛΦ DXXXII., quod Dionis plane ſententiae, atque hiſtoriae congrueret. Fieri enim poteſt, ut detritis progreſſu temporis quibusdam ex litera B extremitatibus, nunc nonniſi ſpecies literae E habeatur. At ad nummum eximii P. Chamillardi redeundum.

Aliud, quod, de falſitate ejus nummi, aliquam etiam injicere, poſſet, ſuſpicionem, eſt, quod Raphanea, ſeu Raphaneae, πολίχνιον Συρίας, *Oppidulum*, ſeu *Civitatula Syriae*, ut eam vocat Stephanus de Urbibus, nummos, Epocha, & Praetoris nomine inſignitos, percuſſerit. Horum etenim nulli, nec apud Emin. Noriſium, nec apud Cl. Vaillantium, viſuntur; imo unicus tantum, quem Raphaneotarum in Elagabalo recitat idem Vaillantius, ſine Epocha, & ſine Praetoris nomine apparet. Verum his, ne nimium moroſus videar, miſſis, brevis tandem, eaque perlepida, numiſmatis ejus hiſtoria recenſenda.

Non multos abhinc annos ſimillimum prorſus, aut illum ipſum fortaſſis, nummum quidam Antiquitatum ſtudioſus, prae mera, ut audivi, voluptate, proque lubitu omnino ſuo, caelavit. In antica parte Caput Anniae Fauſtinae ex nummo maximi moduli, cum eo ipſo nomine, quod in aliis quoque cernitur nummis, delineaverat. Quia vero poſtea animadvertit, inter literas ΑΝΝΙΑ, & ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ, plus aequo ſpatii ſe reliquiſſe; ſciens è Xiphilino, Anniam hanc M. Aurelii Antonini neptem fuiſſe, ut inane illud repleret, alterum nomen ΑΥ-

PHAIA interjecit. In averſa autem parte, uſus eſt typo cujuſdam nummi primi moduli Antonini Pii, ab Epheſiis & Cyzicenis percuſſi, quem, narrationis confirmandae gratia, hic ſubdimus.



Epigraphen ΕΠΙ ϹΤΡ ΚΥΡ'ΝΟΥ ſumſit e nummo Smyrnaeorum Elagabalo, apud Vaillantium, ſcalpto: nomen ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ ex alio ejuſdem Imperatoris ab eodem Vaillantio laudato, ac tandem Epocham AOC ex nummo Botryenorum, apud eundem Vaillantium in Elagabalo, inſcripto anno OC, cui numero unitatem etiam nempe A, ex arbitrio, nullaque ſibi propoſita fraude, adjecit. Haec quoad nummi efformationem. Quod vero ad ejus exitum, ſeu ad quem is tandem pervenerit, ſpectat; id ſcio, nummum tunc a Caelatore alteri Antiquitatum ſtudioſo, prope dono, traditum fuiſſe, atque ex hujus poſtea manibus in praeclari Viri, ut vocant, Ultramontani, una cum aliis non paucis, antiquis quidem, ut intellexi, recentibuſque, ditionem migraſſe. Porro vidi ego aliquando plumbeos typos, quorum ope praedictus nummus conſlatus.

 CA-

CAPUT V.

Nicolai Toinardi conjectura pro nummis, in quibus plures anni, quam Imperatores regnarint, a Pagio relata, & rejecta. Conqueritur Toinardus, non omnino bene fuiſſe a Pagio eandem recitatam. Vera Toinardi obſervatio ex titulo Libelli, quem pollicitus fuerat, exſculpta; & alia via confutata. Non abſimilis Petavii obſervatio proponitur, & refutatur. Aliae Pagii, & aliorum, ſimilium difficultatum ſolutiones eliduntur.

DIo lib. LIII. pag. 508. haec, juxta Xilandri interpretationem, de Imperatoribus ſcribit; *Tribunitiam poteſtatem, quanta unquam maxima fuerit, accipiunt, & quia quotannis eam cum Tribunis plebis ejus anni renovant, annorum imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet*. Quo autem die Tribuni plebis Magiſtratum ſuſciperent, indicat Dionyſius Halicarnaſſenſis, nimirum *IV. Idus Decembris*. Ex his Nicolaus Toinardus V. Cl. apud Pagium ad ann. Ch. 103. num. v. infert, Imperatores, qui ante diem decimam Decembris imperium ſuſceperant, quum rurſus ea die, cum Tribunis plebis Tribunitiam poteſtatem capeſſerent, tempus, quod a delato illis imperio ad illum uſque fluxerat diem, pro anno computaſſe, ſicque eo die annum

num ſecundum, ſeu Tribunitiam poteſtatem II. inſtauraſſe. Hinc autem V. C. cenſet, plures dilui difficultates, quibus Chronologia implicatur, ob varia, eaque indubitatae fidei numiſmata, in quibus plures anni quibuſpiam Imperatoribus tribuuntur, quam ex ceteris Hiſtoriarum monumentis regnaſſe eos, conſtet. Sic extat, inquit, Galbae Latinus nummus TR. P. II. ſignatus, quum tamen Galbam, certum ſit, ſecundum Imperii annum non attigiſſe. Superſunt pariter nummi Graeci Nervae, in quibus tertius annus notatur, quum ceteroquin ſecundum tantum is delibaverit. Meminit etiam nummi cujuſpiam Graeci Heliogabali a Vaillantio tom. II. numiſm. Coloniarum recitati, in quo legitur annus quintus, quem, addit, is ſcriptor praetermiſit, quod Elagabalus ad illum non pervenerit. Eadem ratione, explicare, nititur, Trajani nummos, in quibus is Imperator dicitur: P. M. TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V., quorum nummorum auctoritate fulti Mediobarbus in Numiſm. Impp. Rom. pag. 152., Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 64., Fabrettus in Syntagmate de Columna Trajani cap. IX. contendunt, quintum Trajani Conſulatum geſtum fuiſſe anno Ch. CIV., quum aliunde veteres omnes Faſtorum conditores, eundem Conſulatum anno Ch. CIII. copulaverint. Docet enim, minime ob laudatos nummos veteres faſtos eſſe ſolicitandos, quum probe fieri potuerit, ut Trajanus anno Ch. CII., IV. Idus Decembris, quum adhuc eſſet Conſul dumtaxat Deſignatus V., Tribunitiam Pot. VII. inchoaverit: Nam licet anno Ch. XCVII., V. Kalendas Novembris, Tribunitia Pot. fuerit primum ornatus, eodem tamen anno, IV. Idus Decembris, juxta ſuum laudatum ſyſtema, cum Tribunis

Plebis

Plebis eandem Tribunitiam Poteſt. potuerat iterare. Haec apud Pagium Toinardus.

Verum ſi germana ea eſt, & fideliter a Pagio recitata Toinardi obſervatio, recte proculdubio idem Pagius illam, plurium numiſmatum ope, refellit. Laudat enim primo e Mediobarbo duos Neronis nummos, in quibus is dicitur: TR. P. III. COS. II., qui tamen anno Chriſti LVII., quo ſecundum Conſulatum geſſit TR. P. IV. COS. II. diceretur, ſi menſe Decembri anni LIV. ſecundum Tribunitiam Poteſtatem, ut vult Toinardus, auſpicatus eſſet; menſe enim Octobris illius anni Claudio ſucceſſerat. Alius extat, apud eundem Mediobarbum, Neronis nummus, in quo legitur: TR. P. VI. COS. IIII.; juxta autem Toinardum anno Ch. LX., quo Nero Conſulatum IIII. ſuſcepit, legendum fuiſſet: TR. P. VII. COS. IIII. Laudat ſecundo nummum Domitiani, in quo dicitur: TR. P. II. COS. VIIII. Domitianus imperare coepit die XIII. Septembris anni LXXXI., quare anno LXXXIII., quo Conſulatum IX., ſumſit, non TR. P. II., ſed TR. P. III. diceretur. Huic addere poterat, ejuſdem Domitiani nummos, apud ipſum Mediobarbum, notatos: TR. P. III. COS. X., TR. P. IIII. COS. XI., TR. P. V. COS. XII., TR. P. VI. COS. XIII., TR. P. VII. COS. XIIII., & TR. P. XIIII. COS. XVII., in quibus, ſi vera Toinardi ſententia, alius ſemper addendus fuit annus Tribunitiae poteſtatis. Docet tertio Mediobarbum varios M. Aurelii nummos proferre, in quibus legitur: TR. P. XV. COS. III. quum ceteroquin M. Aurelius qui anno Chriſti CXLVII. Tribunitia poteſtate fuerat ornatus, initio anni CLXI., quo Conſul tertium proceſſit, dici debuiſſet TR. P. XVI. At hic peccat Cl. Pagius

Toinar-

Toinardo praedictos M. Aurelii nummos objiciens; nam falſum eſt, M. Aurelium initio anni Chriſti CLXI. debuiſſe, juxta illius ſententiam, Tribunitiam Pot. XVI. numerare; quum ex ea conſequatur dumtaxat, illum Tribunitiam Pot. XV. praeferre debuiſſe, ut numeranti patebit. Neceſſum autem fuiſſet, ut nummos proferret, in quibus TR. P. XIIII. COS. III., quorum tamen nullus apud Mediobarbum. Laudat poſtremo nummos Severi Alexandri, in quibus, apud Mediobarbum, dicitur: TR. P. IIII. COS. II., quum tamen Alexander, qui anno Chriſti CCXXII. menſe Martio regnare coepit, ante annum CCXXVI., quo Conſulatum ſecundum iniit, IV. ſcilicet Idus Decembris anni praecedentis Tribunitiam Pot. V. inchoaviſſet. His ſane locupletiſſimis, certiſſimiſque nummorum monumentis Cl. Viri opinionem, prout a Pagio refertur, ſatis ſuperque revelli crediderim.

At jam video, ipſum Toinardum, in Epiſtola ad Cl. Virum Franciſcum Dronium, *De Galbae Numiſmate Aegyptiaco* Pariſiis ann. 1689., una cum *Trajani & Caracallae Alexandrinorum Duorum Numiſmatum Interpretatione*, impreſſa, de Pagio conqueri, quod *non omnino bene* is ſuam illam obſervationem retulerit: *Qua vero ratione* (inquit in laudata epiſtola) *in Galba, qui decimum dumtaxat Imperii menſem ad ſummum attigit, duo computentur anni, aperiam in* Tractatu de Tribunicia Imperatorum Poteſtate, bifariam dinumerata. *Meam ſuper ea re Obſervationem, Pariſiis anno* 1685. *cum V.C. Ant. Pagio communicatam, piget dicere non omnino bene a Clariſſ. Auctore, pag.* 7. *ad annum Ch.* 103. *in* Critica ſua Baroniana (*Pariſiis hoc anno* 1689. *edita*,) *fuiſſe relatam:* ac *deinde* ibid. *minus*

appo-

appoſite confutatam, *pag*. 304. *in* Addendis. *Sed de hoc alias*. Optaſſem ut Clariſſ. Vir ſuum illum, quem pollicitus eſt, *De Tribunicia Imperatorum Poteſtate, bifariam dinumerata*, Tractatum tandem publici juris feciſſet.

Jam vero, ut intelligerem, quae ejus, ſuper re illa, germana obſervatio eſſet, Pariſios ad Cl. e noſtris Virum, mihique jamdiu ſumma neceſſitudine conjunctum, D. Anſelmum Bandurium ſcripſi, rogavique, ut pro ſua humanitate, exquireret, num alicubi Libellus ille manu exaratus extaret, ac ſi inveniſſet, eum mihi, ſi fieri poſſet, exſcribendum curaret: ſin vero minime inventus, petii, ut quempiam ſaltem eruditorum virorum, quibuſcum Toinardus, quum adhuc in vivis ageret, verſatus fuerat, adiret, atque ab eo, quae vera illius exiſterit mens, percontaretur. Convenit Vir amiciſſimus Toinardi amicum. Intellexit, librum, *De Tribunibunicia Imperatorum Poteſtate bifariam dinumerata*, Toinardum quidem ſcripſiſſe, at ideo, quod Viris doctis non probaretur, credi, illum poſtea ſuppreſſiſſe. De illius vero opinione, nihil praeterea reſpondit, quam quod e Pagio ſuperius expoſuimus. Haeſi, miratus quae Toinardus laudata epiſtola ſcripſerat, ſcilicet *non omnino bene* relatam a Pagio ſuam opinionem, minuſque ab eodem appoſite confutatam. Hinc ſiquidem deprehendebam, aliud quidpiam Cl. Virum ſenſiſſe, praeter id, quod Pagius, ac eruditus Toinardi Amicus monuiſſent.. Relegens itaque Tractatus, quem pollicitus fuerat, titulum, in mentem venit, eam fortaſſis Toinardi ſententiam fuiſſe, quod in Imperatorum numiſmatis Tribunitiae Poteſtatis, aut Imperii, anni duplici ratione numerari, conſueverint. Id enim ferre, videbatur

tur titulus: *De Tribunitia Imperatorum Poteſtate BIFARIAM dinumerata*. At unde, ajebam, duarum hujuſmodi Epocharum initia repetenda? A die alterum ſuſcepti imperii, cogitabam, illum fortaſſis deduxiſſe, alterum vero a die decima Decembris, qua ab Imperatoribus Tribunitiam Pot. iterari, noveram Cl. Virum, juxta Dionem, contendiſſe. Sic enim, ceſſare, videbam, difficultatem illi e nummis a Pagio objectam. Nam quae Neronis, Domitiani, Alexandri, ac aliorum proferuntur numiſmata, in quibus haud cernitur praedicto modo iterata Tribunitia Poteſtas, illa reponere poſſet, annos a ſuſcepti imperii die numerare. Ceterum quum nummi etiam ſint, in quibus plures anni Imperatoribus tribuuntur, quam eos regnaſſe conſtet, annos, inquiet, in iis putari a decima die Decembris, cum praedicta Tribunitiae Poteſtatis, eo die, cum Tribunis plebis facta iteratione. Haec mea quidem Toinardi ſententiae, e titulo Libelli petita, divinatio. Quae ſi minime mendax; licet profecto Cl. Viri hoc modo explicata obſervatio, minus, ut ille ipſe inquit, appoſite confutetur a Pagio, aliis nihilominus ſubeſſe difficultatibus conſtat, ut neutiquam mirari ſubeat, quod, quum doctis viris non probaretur, eam ſupprimere, Toinardus ipſe cenſuerit. Neque enim video, unde bellam hanc, concinnamque, annorum in nummis putandorum diverſitatem exſpiſcari, licuerit Toinardo. Si textus Dionis vera ab illo uſurpata explicatio, cur non in omnium Imperatorum nummis Tribunitia eorum poteſtas a die decima Decembris cum aſſerta iteratione computatur? De omnibus quippe Imperatoribus Dionem loqui, manifeſtum eſt. An ideo fortaſſis, quia non omnes, ſed aliqui tantum Imperatores eam, cum

Tribunis plebis, renovavere? At quae id adſtruunt monumenta? Non omnes profecto eam illo die renovarunt, aut ſi renovarunt, major certe illorum pars, non a menſe Decembri, ſed a die ſuſcepti imperii numeravit. At ſi de majori id parte fatendum, cur non etiam de omnibus adfirmandum? Nervam, qui ſecundum tantum imperii annum libavit, Tribunitiam Poteſtatem praedicto die iteraſſe, ipſe contendit, quod, ut ſuperius dictum, ſint Graeci ejus nummi anno III. imperii ſignati. At ſi iteravit, cur tot extant, apud Occonem, & Mediobarbum, illius ipſius nummi aurei, argentei, atque aerei, in quibus dicitur: TR. P. II. COS. IIII.? Si iteraſſet, initio anni Ch. XCVIII. quo Conſul quartum proceſſit, Tribunitiam Pot. III. numerare, debuiſſet: imperium namque ſuſceperat menſe Septembri anni Ch. XCVI., ac menſe poſtea Decembri ejuſdem anni Tribunitiam Pot. II., coepiſſet, numerare. Trajanum etiam illam eodem die iteraſſe, aſſerit Toinardus, ut ejus nummos TR. P. VII. COS. IIII. DES. V. ſignatos, in concordiam cum veteribus Faſtis adducat. At plures etiam ejuſdem Trajani occurrunt, apud Occonem, & Mediobarbum, nummi, in quibus legitur: TR. P. III. COS. III., & TR. P. IIII. COS. IIII. Trajanus, ut ſupra obſervatum, Tribunitiam Pot. ſuſcepit V. Kalendas Novembris anni Chriſti XCVII., quare ſi IV. Idus Decembris ejuſdem anni Tribunitiam Pot. II. exorſus eſt, initio anni Chriſti C., quo Conſulatum tertium iniit Tribunitiam Pot. IIII., & initio anni CI., quo Conſul quartum proceſſit Tribunit. Pot. V. praetuliſſet.

Unum ſupereſt, ut hanc etiam aquam tranſiliat Toinardus, quod variis in regionibus, dicat, varie fuiſſe nummos percuſſos, itaut non quidem ubique,

que, ſed alicubi tantum Tribunitiae Pot. anni in illis, juxta praedictam iterationem, fuerint notati. At unde, iterum peto, haec diverſitas? Si alicubi anni cum ea Tribunitiae Pot. iteratione computabantur, nonne Romae praeſertim, ubi IV. Idus Decembris, ea, ut ait, fiebat iteratio? At videas apud Gruterum plurimas Imperatorum Romae poſitas Inſcriptiones, in quibus ab delati dumtaxat Imperii die Tribunitia Pot. numeratur. Sic pag. cc. 2. haec habetur Veſpaſiani.

Romae, in domo Gentilis Delphinii, in parva baſi.

IMP. CAESAR
VESPASIANVS . AVG.
PONTIF. MAX. TRIBVNIC.
POTEST. VI. IMP. XIIII. P.P.
COS. VI. DESIG. VII. &c.

Et pag. CLIV. 4.

Romae, tranſlata ex Appiae viae ruinis in Capitolium Columna &c.

IMP. CAES. VESPA
SIANVS . AVG.
PONT. MAX. TRIB
POT. VII. IMP
XIII. P . P . CEN
SOR. COS. VII. DE
SIGN. VIII.

Veſpaſianus creatus fuit Imperator, & Tribunitia Po-

 teſta-

teſtate primum ornatus Kalendis Julii anni Ch. LXIX., Conſulatum vero ſextum ſuſcepit anno LXXV., & ſeptimum anno LXXVI. Iterata itaque IV. Idus Decembris anno Ch. LXIX. Tribunitia illius Poteſtate, initio anni LXXV. Tribunitiae Pot. VII., & initio anni LXXVI. Tribunitiae Pot. VIII. dictus fuiſſet.

At textum Dionis, e quo ſuam illam Toinardus elicuit obſervationem, expendamus. Δημαρχεῖν μὲν γὰρ ἅτε καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας πάντως τελοῦντες, οὐχ ὅσιον νομίζουσιν εἶναι. τὴν δὲ δὴ δύναμιν τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν ὅσηπερ καὶ μάλιστα ἐγένετο προστίθενται, καὶ δι᾽ αὐτῆς καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ᾽ ἔτος αὐτὴν, μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων προβαίνει. Haec Dio lib. LIII. pag. 508., quae Gulielmus Xilander ſic vertit: *Gerere quidem tribunatum plebis nefas ducunt Imperatores, quum utique ipſi Patricii ſint: omnem vero Tribunitiam poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt: & quia quotannis eam cum Tribunis plebis ejus anni renovant, annorum imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet.* Fateor equidem, hanc interpretationem Toinardi intentionem juvare; verum ſi textum ipſum penſitemus, illam certe minus accomodam deprehendemus. καὶ δι᾽ αὐτῆς καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ᾽ ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, προβαίνει. Sic ad verbum reddiderim: *Et per eam* (Trib. Pot.) *etiam enumeratio annorum imperii ipſorum, ac ſi quotannis eam cum iis, qui plebi ſemper praeſunt, ſuſciperent, procedit.* Quae quidem verſio conſonat interpretationi Johannis Leunclavii, qui priorem Xilandri ſic corrigit: *& juxta eandem imperii quoque ſui numerant annos, quaſi ſi quotannis, & ipſi cum Tribunis plebis eam acciperent.* Hoc autem modo Dionis textu explicato,

cato, de Tribunitiae Pot. renovatione, quotannis ab Imperatoribus facta, nihil inde, exſculpi, video, ſed ex eo contrarium potius ſatis luculenter concludi, crediderim. Porro ſtatim poſt recitata verba, de iiſdem Imperatoribus ſubjicit Dio: *Haec igitur ſingula* (utor emendatiori Leunclavii interpretatione) *prout olim in uſu fuerunt, ita ex reipublicae popularis ſtatu Imperatores per illa ipſa nomina* (ſcilicet Proconſulis, Imperatoris, & Pontificis Maximi) *ſibi ſumunt, ut nihil ſibi a ſubditis non datum habere videantur. Aliud porro quoddam jus adquiſiverunt, nulli unquam priſcis illis Romanis palam datum, quo ſolo, tum illorum, tum aliorum quoque peragendorum licentiam ſibi ſumpſerunt. Legibus enim ſoluti ſunt, quod ab eis totidem verbis Latinis dicitur, hoc eſt liberi ſunt, ab omni coactione legum, nec ulla ſcripta lege tenentur. Ad hunc itaque modum* (ſequitur quae caſtigatione non eget Xilandri verſio) *ratione eorum nominum, quae in populari Civitatis ſtatu uſurpantur omnem totius reipublicae poteſtatem accipiunt: ac regiam etiam, niſi quod invidiam nominis vitant.* Mirum autem videatur, ſi maxima hac in Rempublicam poteſtate praediti Imperatores, Tribunitiam quotannis cum Tribunis plebis poteſtatem ſuſcipere, adigebantur. Si enim Tribunatum plebis gerere, quod Patricii eſſent, οὐχ ὅσιον εἶναι, arbitrabantur, quanto magis ſumma rerum potiti nefas duxiſſent, ſeſe ſingulis annis, ad Tribunitiam poteſtatem, cum Tribunis plebis a populo accipiendam, demittere? His forſan minime, acquieſcet Toinardus, cum reponi poſſit, Imperatores non quidem cum Tribunis plebis quotannis Tribunitiam poteſtatem ſumſiſſe, ſed annos revera ipſius Tribun. Pot. perinde, ac quotannis μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων

ſimul

ſimul cum Tribunis plebis ſumſiſſent, dinumeraſſe: quare quum Tribuni plebis magiſtratum IV. Idus Decembris ſuſciperent, ab eo quoque die Imperatores ſuos annos computaſſe, dicendum eſt. Id ſi conſequi, velit, per me modo licet. Sed quid haec cum aſſerta Tribunitiae poteſtatis inſtauratione, ab Imperatoribus, primo anno imperii, peracta? De hac ne verbulum quidem Dio; imo illam nummorum, ac Lapidum inſcriptionibus repugnare, jam ſupra viſum. Textus itaque Dionis, ac illorum praeſertim verborum μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων, hunc eſſe ſenſum putarim, quod Imperatores juxta Tribunitiam Pot., ſeu a die Tribunitiae Pot. ſuſceptae annos etiam ſui imperii numerarint, perinde, ac quotannis eandem Tribunitiam Pot. ſumſiſſent, quemadmodum Tribuni plebis quotannis eam accipere, conſuevere. At a me diu cum ſpectris fortaſſis pugnatum.

Eandem, quam Toinardus, aut ſaltem ſimillimam inſiſtit viam Petavius lib. XI. De Doctr. Temp. cap. XXVIII., nummum C. Vibii Voluſiani, apud Occonem, inſcriptum TR. P. IIII. COS. II., cum ſua Chronologia conciliaturus. Voluſianus Tribunitia Pot. nonniſi anno Ch. CCLII., aut minimum ſub finem anni CCLI. ornatus fuit. Ex eo nummo, illum cum Gallo Patre, efficitur, ſaltem ad finem uſque anni CCLIV. regnaſſe. At praeter Scriptores qui neque duos integros annos iis tribuunt, ut Euſeb. in Hiſt. Eccl. lib. VII. cap. XVIII. Eutropius, Oroſius lib. VII. cap. XXI., aut qui annos duos, & menſes quatuor concedunt, ut idem Euſeb. in Chron., Caſſiodorus, Epiphanius, aliique, aut tandem Dexippum, a Gregorio Syncello laudatum, qui eos imperaſſe menſibus decem, & octo, tradit, obſtat nummus Gallieni ab Occone recitatus, in quo ipſe Gal-

lienus

Digitized by Google

lienus dicitur: TR. P. IIII. COS. II. Gallienus tertium Conſulatum iniit anno Ch. CCLVII., quare nummus ille percuſſus erit anno praecedenti CCLVI. Anno ergo Ch. CCLII. Gallienus Tribunitiam Pot., & imperium ſuſcepit. Idem evincunt ejuſdem nummi TR. P. VIIII. COS. IIII. inſcripti apud eundem Occonem. Conſulatum enim quintum ſuſcepit Gallienus anno Ch. CCLXII. Ii ergo nummi ſunt anni CCLXI., adeoque prima ejus Tr. Pot. ab anno CCLIII. repetenda.

Baronius, qui, ex laudato Voluſiani numiſmate, Gallum, & Voluſianum, contendit, vere quartum imperii annum libaſſe, ut nodum hunc ſolvat, cenſet Valerianum, & Gallienum biennium, ante Galli, & Voluſiani necem, imperium fuiſſe adeptos, remque publicam ſimul cum illis, per totum id tempus, adminiſtraſſe. Verum, quum plura ſint, quibuſcum reſponſio iſtiuſmodi pugnat, hinc Petavius docuit, Gallum quidem, & Voluſianum, annos duos dumtaxat, & dies quatuor, juxta Euſebium in Chron. & Caſſiodorum, regnaſſe, ſed haud mirum eſſe, quod in nummis Tribun. eorum Pot. IIII. viſatur, *quum*, inquit, *novo anno Juliano nova Tribunitia Poteſtas inchoata ſit, adeoque quatuor inſtaurari potuerit. Quamobrem*, ſubjicit, *ineunte anno Chriſti CCLIV. Gallus, & Voluſianus interfecti ſunt, cum imperaſſent annos ſolidos duos nempe CCLII., & CCLIII., ac menſes quatuor, qui poſtremam anni CCLI. partem, & tres circiter primos anni CCLIV. menſes occupant*. Quam Toinardus Tribunitiae Pot. iterationem, IV. Idus Decembris cum Tribunis plebis, fieri, ſenſerat, hanc novo anno Juliano peractam contendit Petavius. Eminen. etiam Noriſius in Diſſertat. Liciniani Licinii cap. vi. pag. 97. hanc ſententiam inſinuaverat, dicens, quod quum

habean-

habeantur nummi Neruae TR. P. III. inſcripti, ac certum ſit, Neruam tertium annum imperii non attigiſſe, forte idem Nerua Kalendis Januariis praeter morem cum Tribunis plebis Tribunitiam poteſtatem bis iteraverit. Verum, in Diſſertat. Chronologica De Votis Decennalibus cap. v. pag. 141., eandem, uti a Petavio traditam rejicit, aitque Tribunitiam poteſtatem initio ſtatim delati imperii ſuſceptam fuiſſe, nec Kalendis Januariis anni Juliani iteratam, ſed die ipſa natali imperii, atque inde factum, ut eodem anno Juliano diverſi Tribunitiae poteſtatis anni concurrerent; quod probat nummis Domitiani, in quibus inſcribitur: TR. P. IV. COS. XI. & rurſus TR. P. V. COS. XI., & Commodi, in quibus anno poſtremo imperii quo Conſulatum ſeptimum iniit, dicitur TR. P. XVII. COS. VII. & TR. P. XVIII. COS. VII.

Pearſonius quoque, in Annal. Cyprian., ad annum Ch. CCLIII., pag. 44. num. VIII., eandem Petavii ſententiam refellens, illam ſingulare ejus Auctoris commentum appellat, *quo ubi ad incitas*, inquit, *redigitur, ſaepius utitur, nunquam autem infelicius, quam in hoc ipſo Galli imperio*. At aeque infeliciter, ut puto, hoc poſtremum ipſe Pearſonius demonſtrat. *Gallus imperium obtinuit* (haec ejus probatio) *circa finem anni CCLI. anno CCLII. Conſul ſecundum morem, factus eſt ordinarius, & a Calendis Januariis dictus eſt COS. II. ab eo autem die non eſt ejus Tribunitia poteſtas innovata, ſed continuata, ut ex nummis tum Graecis, tum Latinis certo intelligitur*. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒΩΝ. ΓΑΛΛΟϹ ϹΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹ. ΥΠΑΤΟϹ. ΤΟ Β. IMP. Caeſ. C. Vib. Trebonianus Gallus Aug. P. M. TR. P. COS. II. *Similiter de Voluſiano, qui cum eo imperium adeptus eſt,*

&

& mox Conſulatum primum ſimul cum Patre iniit, legimus, ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΟΥΩΛΟΥCΙΑΝΟC CΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥC. ΥΠΑΤΟC. Imp. C. C. Vib. Voluſianus Aug. Pontif. TR. P. COS. *Quamobrem eadem Tribunitia poteſtas, quae anno CCLI. bis Imperatoribus contigit poſt Cal. Januarias anni CCLII. ſub Conſulatu Galli ſecundo, & Voluſiani primo continuata eſt. Idem etiam obſervare licet in nummis omnium Imperatorum, qui ex more vetuſto, poſt imperium arreptum, aut conceſſum, Conſulatum inierunt, quibus TR. P. ſimpliciter poſita cum eo Conſulatu tribuitur. Cum ſi vera eſſet Petavii obſervatio TR. P. II. ei conſulatui ab ipſo initio ſemper praefigeretur. Fruſtra igitur* (concludit) *ad ſinceritatem paucorum, & adulterinorum nummorum tuendam, hoc adminiculum adhibetur, quod omnes nummi reſpuunt, & averſantur.* Is allati argumenti cardo unus eſt, quod, quum TR. P. ſimpliciter poſita inſpicitur, eam primum annum dumtaxat Tribunitiae poteſtatis indicare, opinetur. Id autem, cap. ult. noſtrae hujus Diſſertationis, falſitatis apertae arguemus. Melius itaque Petavio hac in re nummos ejuſdem Voluſiani objeciſſet inſcriptos: TR. P. II. COS. II., quorum tres apud Goltzium. Conſulatum enim ſecundum iniit Voluſianus anno Ch. CCLIII., quare, ſi novo anno Juliano CCLII. Tribunitiam Pot. II. inſtauraviſſet, initio etiam anni inſequentis Tribunitiam. Pot. III. numeraſſet. Ea porro omnia, quae, contra Toinardum, a nobis ſuperius allata ſunt, hoc etiam Petavii ſyſtema evertunt.

Quia vero idem Petavius ſibi quodammodo gratulatur, quod ea ratione Voluſiani nummum TR. P. IIII. inſcriptum explicaverit, quum inquit: *Vides quam belle*

M *cum*

cum inſcriptione veteri Chronologia noſtra conſentiat; obiter adnotes velim, neque eo modo ſatis illum occurrere nummis Gallieni, in quibus dicitur: TR. P. IIII. COS. II. & TR. P. VIIII. COS. IIII., quum ex iis Valerianum, & Gallienum, non modo anno Ch. CCLIV., quo per Petavium Gallus, & Voluſianus extincti, ſed etiam anno praecedenti imperio potitos, colligatur. Neque enim juvat, quod vel illi initio anni CCLV. novam Tribunitiam poteſtatem inchoaverint, nam ea etiam tunc iterata, anno CCLVI. Tribunitiam Pot. IIII., & anno CCLXI. Trib. P. VIIII. numerare nequaquam potuiſſent, ſi regnare coepiſſent dumtaxat anno CCLIV.

Ceterum video, ipſum etiam Petavium perquam cito ſuam illam ſententiam deſerere. Eodem enim capite, quum Aureliano ſex annos, minus paucis diebus a Vopiſco, & annos V. menſes VI. ab Eutropio, Victore, Euſebio, Oroſio, & Caſſiodoro, tribui animadvertiſſet, atque adnotaſſet praeterea, ex antiquis nummorum inſcriptionibus concluſiſſe Baronium, ſeptimum annum ab eodem Aureliano eſſe libatum, quum in iis inſcribatur TR. P. VII., ita ipſe reſpondet: *Nihilominus tot Hiſtoricorum concordia pluris eſt apud me quam inſcriptionis illius fides, quae ſive cuſoris hallucinatione, ſive exceptoris ipſius, mendoſa videri poteſt*. Si enim, eleganti illa Tribunitiae poteſtatis inſtauratione novi anni Juliani initio facta, eos nummos conciliare cum praedictis Hiſtoricis poterat, quid opus erat, ad cuſoris, aut exceptoris hallucinationem confugere?

Ex his perſpicue intelligimus, nullo pacto Toinardi, aut Petavii obſervationem, pro Elagabali, de quibus agimus, nummis explicandis, ſufficere; ſed aliam procul-

dubio

dubio veſtigandam eſſe rationem, qua eadem indubitatae fidei numiſmata, cum ceteris eorum temporum Hiſtoriae monumentis, conciliemus.

Tillemontius, not. vi. in Heliog., gravi hac actus difficultate, ſuum nobis ſic anceps judicium proponit. *Goltzius, & Occo citent quelques inſcriptions, qui portent la cinquiéme année de ſon Tribunat. Mais a moins qu' il ne contaſt ſon Tribunat par les Conſulats, je penſe qu' il faut avouer, qu' il y a faute dans ces inſcriptions, & qu' il y faut lire* iv. *au lieu de* v. At, ut verum fatear, eorum neutrum tam facile admitti, poſſe, crediderim. Quod enim mendoſae haudquaquam ſint eae inſcriptiones, probant manifeſto tot nummi infra a nobis recitandi, in quibus omnibus Monetarios, erraſſe, prorſus incredibile. Quod autem, juxta, Conſulatus, Tribunitiae poteſtatis annos Elagabalus numeraverit, id etiam contra omnium nummorum fidem exiſtimem, in quibus, non juxta dictos Conſulatus, ſeu, non ad tempore quo Auguſti ante adeptum imperium Conſulatum primum ſumſere, ſed ab ipſo ſuſcepti imperii die, Tribunitiae poteſtatis anni efferuntur. Sic, ut innumera exempla praeteream, extant, apud Occonem, & Mediobarbum, Severi Alexandri numiſmata TR. P. IIII. COS. II. ſignata, in quibus profecto, ſi anni Tribunitiae Pot. praedicto modo computarentur, legendum fuiſſet TR. P. V. COS. II., quum Alexander Conſulatum primum inierit cum Elagabalo Kalendis Januariis anni Chriſti CCXXII., ſecundum vero Kalendis Januariis anni CCXXVI. Contra hanc etiam annorum putandorum rationem ſibi objicit ipſe Tillemontius nummum ejuſdem Elagabali inſcriptum TR. P. II. COS. III., ac Gruterianam inſcriptionem, in qua Ela-

gabalus dicitur: TR. P. IIII. COS. IIII. At, de duabus hiſce Inſcriptionibus, late a nobis cap. ult. ediſſerendum.

Pagius ad annum Chriſti 103. num. VII., poſt relatam, rejectamque Cl. Toinardi opinionem, ſuam de univerſis hujuſmodi Latinis nummis, in quibus anni Tribunitiae Pot. annos imperii excedunt, conjecturam proponit, quod ii nempe, *aut mendoſe deſcripti ſint, aut a Monetariis in iis cudendis erratum, aut anni unius Imperatoris alteri attributi*. De nummis vero Graecis, in quibus plures Imperii anni, quam reapſe Auguſti regnarint, vel idem dicendum aſſerit, ac de praedictis Latinis, vel exiſtimandum, *annos illos non ad Imperium, ſed ad aliquod aliud nobis incognitum referri*. Quod mendoſe, imperitia, aut oſcitantia Antiquariorum, nummi interdum deſcripti ſint, aut typis minus accuratis vulgati, verti in dubium non poteſt. Fatendum etiam, perque vehementer dolendum, improborum artificum fraude, aliquot, poſtremis hiſce temporibus, nummos conflatos, qui affabre adeo, ad antiquorum normam, caelati ſunt, ut vel peritiſſimi cujuſque oculos, niſi ſumma cautio, & diligentia adhibeatur, facile poſſint, illudere. In his porro, eorundem nebulonum inſcitia, aut cumulatiore fortaſſis ſcelere, quo majus nimirum ſuis mercibus pretium facerent, numerales quandoque, ſive Tribunitiae poteſtatis, ſive Conſulatuum, ſive aliarum Epocharum, notae turbatae ſunt, ſicque ſus deque omnia permixta. Verum, quod a Monetariis, in antiquis ipſis procudendis nummis, erratum ſit, aut quod anni unius Imperatoris alteri in iiſdem tributi, ut contendit Pagius, nonniſi aegre valde, ac ſummis difficultatibus preſſis credendum. Quis enim non videat, hac ratione omnium nummo-

rum

rum fidem ſubverti, eoque canone admiſſo, nullum amplius nos poſſe, pro Hiſtoricis, & Chronologicis rebus, e nummis praeſidium adſciſcere? At ſi ea regula quandoque fortaſſis ſit admittenda, illam tamen nullus, pro Elagabali nummis, admiſerim. Horum tres Goltzius recenſet, quorum prior Graecus, reliqui Latini. In Graeco legitur: ΑΥΤ. Κ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΗΕΙΝΟϹ. ΕΥϹ. ϹΕΒ. ΔΗΜ. ΕΞ. Ε. ΥΠΑΤ. ΤΟ ΤΕΤΑΡ. In uno Latino: Imp. Antoninus Pius Aug. P. M. TR. P. V. COS. IIII. P.P., in altero vero: Imp. Caeſ. M. Aur. Antoninus Pius Aug. P. M. &c. ut in ſuperiori. Duo quoque extant, apud Occonem, unus argenteus, alter aereus. Argentei inſcriptiones eaedem ſunt, ac quae in priori Latino Goltzii, viſiturque figura dextra tenens pateram ſuper Aram cum ſtella, ſiniſtra clavam. Aereus vero, licet in antica eandem epigraphen, ac quae in poſteriori Goltzii, exhibeat, in poſtica tamen aliquatenus variat, quum habeat: P. M. TR. P. V. COS. IIII. S. C., & eſt figura ſacrificans ad Aram cum ſtella. His duos addit Mediobarbus, unum pariter argenteum, & alium aereum. Argentei, tum in antica, cum in poſtica parte, epigraphe eadem, quae in argenteo Occonis, cernitur vero Figura ſtans dextra Pateram ſuper Aram protendens, ſiniſtra Cornucopiae cum ſtella. In aerei autem averſae partis epigraphe additur nomen P. P., ac ſpectatur Figura ſacrificans ad Aram dextra Pateram ſiniſtra Parazonium cum ſtella. Alium profert argenteum Vaillantius cum epigraphe: P. M. TR. P. V. COS. IIII., ac viſitur Elagabalus in Quadrigis dextra ramum ſiniſtra Scipionem eburneum. In Gaza etiam Medicea extat aereus nummus primi moduli, inſcriptus, ut in ſubje-

cto

ćto ećtypo apparet, P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. S. C., & adſpicitur Figura ſtans dextra Pateram ſuper Aram ignitam, ſiniſtra Clavam, cum ſtella.



His addendi ſunt nummi Aquiliae Severae, & Anniae Fauſtinae, cum L. E. *anno V.*, a Vaillantio in nummis Graecis, e Muſeo Nob. Mauroceni, recitati, quorum perſimiles poſſidet etiam Senator ampliſſimus D. Johannes Dominicus Theupolus, qui, pro eximio ſuo, in rem Antiquariam, atque in me etiam, amore, eorum ectypos Venetiis ad me Florentiam tranſmittere, minime gravatus eſt. Eos autem hic exhibemus.

Quis



Quis autem credat, in his omnibus Monetarios erraſſe, aut aliorum Imperatorum poſticas iiſdem Elagabali nummis veteres ipſos Monetarios junxiſſe? Si autem anni, qui in nummis Graecis perſaepe ſola litera L., cum nota numerali adjecta, deſignantur, non ad Imperium, ſed ad aliquod aliud ſunt referendi, cur Pagius ipſe iis nummis toties utitur, pro Auguſtorum imperii annis definiendis? Id enim vero genus argumentorum non inutile modo, ſed plane deridiculum foret, ſi, imperii annos iis minime notis inſcribi, ſemel aſſeramus.

Alia porro, qua idem Pagius, aliis in locis, aliique paſſim Antiquarii utuntur, de hujuſmodi, ſive Latinis, ſive

ſive Graecis numiſmatis regula, quod nempe in diſſitis regionibus, quum a Monetariis Imperatorum mors adhuc ignoraretur, percuſſa ſint, ſi de paucorum dumtaxat dierum, aut alicujus etiam fortaſſis menſis differentia agatur, haud plane eſt improbanda. Hanc regulam ipſis etiam Elagabali nummis Pagius, ut initio cap. praecedentis jam diximus, aptaverat; at re melius perpenſa, aliaque tradita, quam eodem cap. rejecimus, reſponſione, eam repudiavit. Neque enim videtur credibile, tamdiu ejus necem Monetarios latuiſſe, ut tot diverſi illi nummi, TR. P. V. ſignati, cudi, potuerint; neque praeterea explicari ſatis poterunt nummi Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae, cum L. E. *anno V.*, a nobis ſuperius exhibiti, quum poſt Anniam Fauſtinam, aliam, atque aliam duxerit Elagabalus, ac demum ad Aquiliam Severam redierit. Eliſis itaque omnibus aliorum hiſce opinionibus, jam ad noſtram, infirmam etiam fortaſſis, obſervationem deveniamus.

CAPUT VI.

Proponitur Conjectura Auctoris, & pluribus ſuadetur. Elagabalus e Faſtis anni V. C. DCCCCLXXI. nomen Macrini eraſit. Ex alio Lapide inſcripto An. V. C. DCCCCLXX. idem nomen Macrini detritum. Nummi Corneliae Paulae L. Γ. & L. Δ. *obſignati explicantur. Nummi Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae* L. E. *notati recte, juxta Auctoris ſyſtema, declarantur. Dionis, & Herodiani concordia pro annis imperii Elagabali. Oroſius initium Elagabali conſignat Anno V. C. DCCCLXX.*

IN *Epiſtola* (ait Dio de Elagabalo lib. LXXIX. pag. 907.) *quam ad Senatum, & ſcripto, quod ad populum miſit, & Imperatorem, & Caeſarem ſe, filiumque Antonini, Severi nepotem, pium, felicem, Auguſtum, Proconſulem, Tribunitiae poteſtatis inſcripſit; haec nomina necdum ſibi decreta prior occupans.* Hunc textum quum ipſe perpenderem, ſimulque, de ejuſdem Dionis ſententia, quoad tempus imperii Elagabali poſt devictum Macrinum, certior omnino, ex iis quae cap. II., & III. tradidimus, factus viderer, in mentem venit, Elagabalum quemadmodum praedicta Imperatoris,

Caeſaris, Pii, Felicis, Auguſti, Proconſulis, & Tribunitiae poteſtatis nomine, priuſquam a Senatu ſibi eſſent decreta, ſuſceperat, quod nempe Antonini Caracallae filium, & Severi nepotem, ſe jactitaret, ita eandem ob cauſam, initium ſui Imperii a morte ipſius Antonini Caracallae fortaſſis deduxiſſe. Id vero, aliis nonnullis ſatis poſſe, ſuaderi, mihi viſum.

Elagabalus, ſtatim poſt necem Macrini, nihil non egit, quo ejuſdem Macrini memoriam inviſam omnibus redderet, eumque tanquam Imperii uſurpatorem coargueret. *Romam literas miſit* (ait Dio laudato libro LXXIX. pag. 906.) *quum aliis de rebus, quas par erat adjungere; tum etiam Macrinum ob generis ignobilitatem, & ſtructas Antonino inſidias, inviſum reddens. Inter cetera ſcriptum hoc quoque legebatur: cui non fas erat ingredi curiam poſt illam praeconis vocem, qua praeter Senatores alii arceri ſolent; is auſus eſt trucidato per fraudem Imperatore, cujus ei cuſtodia commiſſa fuerat IMPERIUM AD SE RAPERE; ac prior Imperator quam Senator fieri*. Elagabalus hic Macrini generis ignobilitatem primum carpit, illum deinde uti nefarium Patris ſui proditorem, & interfectorem, traducit, ac tandem tanquam imperii raptorem, ac qui prior Imperator, quam Senator fieri auſus ſit, criminatur. Hoc in Macrinum concitato odio, plures eum interfeciſſe, qui e Macrini partibus ſteterant, teſtatur idem Dio pag. 907. *In Syria*, inquit, *Neſtorem interfecit, & Fabium Agrippinum, qui Syriae cum imperio praeerat, una cum primariis Equitibus, quos penes ſe Macrinus habuerat. Idem, & in illos perpetravit, qui Romae partibus ejus in primis addicti fuerant*. Quum in laudatis ad Senatum, & populum literis Antoninum,

num, & Antonini filium ſe nominaſſet, gaviſi omnes fuere, dirisque Macrinum, ejusque filium devovere. *Nactus imperium* (ait Lampridius in ejus vita cap. III.) *Romam nuntios miſit: excitatiſque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non ſolum titulo, ut in Diadumeno fuerat, ſed etiam in ſanguine redditum videbatur, quum ſe Antoninum Baſſiani filium ſcripſiſſet, ingens ejus deſiderium factum eſt ..... Denique ubi in Senatu lectae ſunt literae Heliogabali, ſtatim fauſta in Antoninum, & dira in Macrinum, ejusque filium dicta ſunt*. Ex hoc Lampridii teſtimonio apparet Elagabalum a Senatu etiam, Populoque Romano revera, uti Caracallae filium habitum, ſuſceptumque fuiſſe; quod praeterea evincitur, e duabus apud Gruterum inſcriptionibus pag. CLVIII. 3. 4., in quibus is illi titulus tribuitur. Earum prior, quae in columna inter Ulyſſipponem, & Eboram in agro Stermojenſi, non procul a pago Borbacena, viſitur, ſic habet:

IMP. CAES. DIVI . ANTONI
NI . PII . MAGNI . FIL
DIVI . SEPTIMI . SEVERI
PII . NEPOTI . M. AURE
LIO . ANTONINO
P. FEL. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. II. COS. II.
PROC. P. P.
FORTISSIMO . FELICISSI
MOQUE . PRINCIPI
...... ORA . M . P
XXII

In altera vero, quae Braccarae, nunc Pragae Luſitaniae, quaeque initio detrita eſt, ita legitur:

. . . .

. . . . SEVERI . PII . NEP. ANTONINI MAGNI . F. AURELIO ANTONINO FELICI AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. PROC. FORTISS. PRINCIPI A . BRACCARA M. P. III

Hoc itaque praeclariſſimo nomine ſibi apud omnes conciliato amore, ac in Macrinum praedicta, utpote ſceleſtiſſimum, perfidumque Antonini Patris interfectorem, & injuſtum imperii uſurpatorem, conflata invidia, veriſimile videtur, Elagabalum, tempus quoque imperii Macrini ſibimet, tanquam legitimo Antonini Patris ſucceſſori, vindicare, voluiſſe, atque ab ejuſdem Antonini interitu ſui regni initium deduxiſſe.

Conſulatus Macrini loco (ait idem Dio pag. 909.) *qui jam ante geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit* (Elagabalus) *quum nec Conſulatum a nobis accepiſſet, nec prorſus eum attigiſſet: & initio tribus in literis annum indicavit per Adventi Conſulatum, quaſi qui ſolus eum geſſiſſet*. Ex his conſtat, Elagabalum poſt ſuſceptum, Macrino interfecto, imperium, Macrini nomen, e Faſtis anni V. C. DCCCCLXXI., quo is una cum Advento Coſ. fuit, expunxiſſe, & ſuum loco illius ſubſtituiſſe. Quod praeterea probat Emin. Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 131. ex reſcripto ipſius Antonini Elagabali lib. II. Cod. L. VIII. *De Nuptiis geſtis*, quod ſignatur: *Dat. VI. Kal. Auguſti. Antonino, & Advento Conſulibus*. Atque hinc factum eſt, ſubjicit idem

idem Noriſius, *ut veteres faſtorum Scriptores hunc annum Antonini, & Adventi Conſulatu in Faſtorum tabulis indicaverint*. At cur in tribus iis literis Macrini Conſulis nomen renuit adponere Elagabalus, ſuumque poſtea illius loco ſubſtituit? Id probe factum juxta praedicta deprehendes. Macrinus Conſul eo anno V. C. DCCCCLXXI. non alia ratione proceſſerat, quam quod anno praecedenti ad imperium fuiſſet evectus. Elagabalus igitur, quemadmodum eodem praecedenti anno Imperium non ad Macrinum, ſed ad ſe, uti verum Antonini Caracallae filium, & ſucceſſorem pertinuiſſe, ſentiebat; ita fieri potuit, ut Conſulatum etiam anni inſequentis non ad illum, ſed ad ſe omnino ſpectaſſe, contenderit.

Neque vero, e Faſtis tantum anni V. C. DCCCCLXI. Macrini nomen eraſum, verum, e marmoribus etiam inſcriptis anno V. C. DCCCCLXX., quo imperium ille occupaverat, idem detritum. Id patet ex Inſcriptione Gruteriana pag. ccc.

IMP . . . . SEVERUS . . . .
COOPTATVS.
C. BRVTTIO . PRAESENTE . T. MESSIO .
EXTRICATO
II. COS.
P. R. C. ANN. DCCCCLXX.

nempe: *Imp. Opelius Severus Macrinus Auguſtus cooptatus &c.* Ex eo detrito Macrini Elogio confirmat Noriſius ſupra laudato loco, Elagabalum, e Faſtis anni V. C. DCC-

DCCCCLXXI. Macrini hoſtis nomen expunxiſſe: ipſe tamen illud etiam intulerim, quod non ob odium dumtaxat, ex eo marmore id nomen deleri curaverit, ſed ideo fortaſſis maxime, quod in illo perperam Macrinus *Imperator Auguſtus cooptatus* diceretur. Jam vero numiſmata quoque conſulamus.

Vaillantius in nummis Graecis profert, e Muſeo Nob. Mauroceni nummum Juliae Corneliae Paulae prioris Elagabali uxoris, notatum L. Γ. *anno III*, ac in eo viſitur Imperator Eques Pacificatoris habitu. Similem nummum poſſidet etiam Illuſtriſs. & Eccellentiſs. D. Johannes Dominicus Theupolus, qui humaniſſime eum mihi delineatum per epiſtolam communicavit.



In nummis Latinis Auguſtorum, quum Imperator Eques habitu Pacificatoris effertur, plerumque adponi ſolet Epigraphe: ADVENTUS AUG.; ſuntque reipſa nummi ejuſdem Elagabali, apud Vaillantium, eodem ipſo typo, atque epigraphe inſigniti. Quo tempore Elagabalus Romam advenerit, ſatis colligi, poteſt ex iis, quae cap. II. Lampridium, & Eutropium cum Dione, quoad annos imperii ejuſdem Elagabali, conciliaturi, obſervavimus, nimirum poſtquam Nicomediae anno V. C. DCC-

DCCCCLXXII. hiemaſſet, ibidemque, aliquantulum etiam poſt ipſa hiberna, nonnullos tumultos reſtricturus, ſubſtitiſſet. Num autem Corneliam Paulam duxerit Elagabalus, quum Roma adhuc abeſſet, an poſtquam Romam advenit, id mihi incertum, quum de hac re nil clare apud Scriptores. Poſtremum magis conſonum videtur Herodiano, qui Elagabali nuptias lib. v. recitat, poſtquam illius Romam adventus meminiſſet; at perquam notum, haud cuncta Hiſtoricos per ſeriem, & ad prius poſteriuſve geſtorum amuſſim, preceſere. Id tamen valde credibile, quod ſi duxit poſt ſui Romam adventum, ſtatim poſt illum, nullaque fere mora interjecta, eam duxerit, quod indicari, tum eo nummo videtur, tum praeterea a Dione, qui apud Xiphilinum duxiſſe illam in matrimonium ſcribit, *ἵνα δὴ θᾶσσον (ὥσπερ ἔφη) πατὴρ γένηται, ut fieret Pater, ſicuti dicebat, celerius*. Veriſimile itaque eſt, cuſum fuiſſe ejuſmodi Corneliae Paulae nummum, non multo poſt Elagabali Romam adventum, quum ſub eo typo, ut diximus, exprimi ejuſdem Adventus memoria videatur. Eſt autem L. Γ. *Anno III.* imperii Elagabali idem ipſe nummus inſcriptus; Quod ſane recte noſtro ſyſtemati congruit, quum juxta illud Elagabalus, circa tempus, quo, poſt hiberna Nicomediae habita, anno V. C. DCCCCLXXII., Romam advenit, probe tertium imperii ſui annum attigiſſet.


Graecum alium ejuſdem Corneliae Paulae nummum laudat idem Vaillantius L. Δ. *anno IV.* inſcriptum. De hac ita ſcribit Herodianus lib. v. cap. vi.: *Duxit uxorem, illuſtriſſimam Romanam feminam, quam etiam Auguſtam appellavit: cumque ea tamen PAULLO POST* (*μετ' ὀλίγον χρόνον*) *divortium fecit, ademptiſque*

que honoribus privatam colere vitam juſſit. Elagabalus, ut modo dicebamus, niſi ante, non multo tamen poſt ſui Romam adventum, ut ſcilicet *fieret Pater*, *ſicuti dicebat*, *celerius*, Corneliam duxit. Advenit autem, ut pariter dictum, anno V. C. DCCCCLXXII., poſtquam Nicomediae hiemaſſet, ibidemque aliquantulum etiam poſt ipſa hiberna fuiſſet commoratus. Demus itaque, quod eam duxerit circa menſem Junium ejus anni. Si annos praedicto nummo obſignatos a menſe Junio dumtaxat anni V. C. DCCCLXXI., quo in fugam conjecto Macrino omnem potentiam adeptus eſt Elagabalus, dinumeremus, is proculdubio Corneliam Paulam non ὀλίγον χρόνον, ut teſtatur Herodianus, ſed duos annos ad minus, uſque ad menſem nimirum ſaltem Junium anni V. C. DCCCCLXXIV., quo quartum annum imperii inchoaſſet, retinuiſſet. Fateor equidem, potuiſſe etiam ejuſmodi nummos, in diſſitis regionibus percuti, quum adhuc ejuſdem Corneliae Paulae repudiatio ignoraretur: at id quidem verum, ſi de paucis hebdomadis tantum, aut etiam duobus, ſi velis, tribuſve menſibus, agatur, non vero ſi de pluribus menſibus; quum praeſertim, ea repudiata, Aquiliam Severam, virginem, *quae*, ut ait Herodianus, *Romanae Veſtae in Sacerdotale munus addicta erat*, *& quam Sacrae leges caſtitatem colere*, *atque ad finem uſque vitae manere virginem*, *jubent*, e Veſtae templo, & ſacro virginum domicilio, per ſummum nefas, abripuerit, atque in uxorem acceperit: pro quo quidem crimine, *oportebat illum*, ut ait Dio, *caeſum verberibus in foro*, *in carcerem conjici*, *ac morte mulctari;* cujus ſane immanis facinoris rumor, fieri non potuit, quin celerrime, ut ſimilibus in rebus accidit, perquam

etiam

etiam remotas Imperii Romani Provincias pervaſerit. Admiſſo tamen, quod iis in regionibus tribus circiter menſibus ignorari, repudiatio illa potuerit, ſuperant adhuc viginti circiter menſes, atque amplius, quibus Elagabalus Corneliam retinuiſſet. Quomodo autem conſtare id poteſt cum Herodiano, qui, Elagabalum, ſcribit, eam *paullo poſt* dimiſiſſe? Si vero contra eoſdem annos, non a pugna cum Macrino inita, ſed a Carcallae Patris interitu computemus, recte potuit ipſe Elagabalus menſe Aprili anni V. C. DCCCCLXXIII. delibato jam IV. anno imperii, praedictis nummis inſcripto, Corneliae Paulae conſortio adhuc frui, eaque poſtea repudiata, poſt decem nimirum circiter conjugalis conſuetudinis menſes, (quod ὀλίγον certe tempus vocari potuit ab Herodiano,) ad aliud cum Aquilia Severa connubium tranſvolare.

Duxit itaque ſecundo loco Elagabalus Aquiliam Severam, cujus perrarum numiſma L. Δ. *anno IV.* inſignitum, e percelebri ſaepe a nobis laudati D. Johannis Dominici Theupoli Muſeo, hic damus.



Sed Aquiliam *quoque paullo poſt* (ait Herodianus) *dimiſit, tertia uxore ducta, quae referre ſuum genus*

ad Commodum dicebatur, Annia nimirum Fauſtina, ut cap. III. jam dictum. Hujus Anniae nummum etiam cap. praecedenti exhibuimus ſignatum L E. *anno V.* Poſt eandem Anniam *aliam etiam*, *atque aliam duxit*, *ac dein iterum ad Severam rediit*, ait Dio. Ejuſdem ad Severam regreſſus, praeter Dionem, teſtis eſt etiam nummus a nobis cap. pariter praecedenti delineatus cum L. F. *anno V.* Tot haec matrimonia nullo pacto, juxta aliorum, quas jam retulimus, opiniones, conciliari poſſe cum ſupradictis Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae numiſmatis, perſpicuum fit ex iis, quae in fine cap. III., & alibi adnotavimus. Ea autem, ut perquam commode, juxta noſtrum ſyſtema, explicentur, jam videamus. Elagabalus, deducto imperii initio a menſe Aprili anni V.C.DCCCCLXX., quum Romam poſt menſem Aprilem anni V.C. DCCCCLXXII., poſtquam ſcilicet Nicomediae hiemaſſet, ibidemque turbas aliquot adverſus ſe excitatas compeſcuiſſet, advenit, annum tertium ſui imperii jam numerabat. Duxit itaque tunc, non multo poſt ſui adventum, Corneliam Paulam, eandemque uſque ad menſem ſaltem Aprilis anni V. C. DCCCCLXXIII., quo quartum annum imperii inchoarat, retinuit. Id enim declarant Auguſtae hujus nummi L. Γ. & L. Δ. inſcripti. Dimiſſa Cornelia Paula, ſibi Aquiliam Severam adſcivit; verum ea etiam paullo poſt repudiata, ad Anniam Fauſtinam migravit, cumque illa uſque ad menſem ſaltem Aprilis anni V. C. DCCCCLXXIV., quo quintum annum imperii auſpicabatur, verſatus eſt; ſunt enim Anniae iſtius numiſmata L. E. inſignita. Ab eo autem menſe Aprili anni V. C. DCCCCLXXIV., uſque ad menſem Martium anni V. C. DCCCCLXXV., quo tumultu tan-

tandem militari interfectus eſt, recte etiam fieri potuit, ut duo alia conjugia contraxerit, poſtremoque ad Aquiliam Severam redierit.

Hoc modo Elagabali imperio explicato, patet, nec diſcrepare inter ſe, quoad tempus imperii ejuſdem Imperatoris, Dionem, & Herodianum, quorum alter annos tres menſes novem, & dies quatuor fuiſſe illud, tradit, alter vero ſexennium. Dio enim id tempus a praelio cum Macrino inito numerat; Herodianus vero a nece fortaſſis Caracallae, a qua uſque ad menſem Martium anni V. C. DCCCCLXXV. ſex plane anni fluunt Juliani utrinque incompleti. Regnavit Elagabalus *annos tres*, ait Dio, *menſes novem, & dies quatuor*, ὡς ἄν τις ἀπὸ τῆς μάχης, ἐν ᾗ τὸ παντελὲς κράτος ἔσχεν, ἀριθμήσειεν, *ſi quis a praelio, quo omnem potentiam adeptus eſt, id tempus numerarit*. At quid opus, ut haec exprimat Dio, tempus imperii Elagabali declaraturus? Id factum fortaſſis, quod alio etiam a tempore, a Caracallae nimirum interitu, ejuſdem imperii initium repeteretur. E diverſa hac, perturbataque, eos annos putandi, ratione, profectum etiam crediderim, ut veteres Scriptores, in iiſdem Elagabali annis conſignandis, magna adeo confuſione, ut cap. I. viſum eſt, laborarint, aliique alia prorſus contraria tradiderint. Illud tamen hic minime praetermittendum, quod in altero a Sylburgio, duobuſque aliis, a Dodwello editis, Imperatorum Catalogis, quorum cap. I. meminimus, nulla mentio Macrini fit, perinde ac Auguſtorum albo exemptus revera is fuerit, ſed eo prorſus omiſſo, poſt Antoninum Caracallam ſtatim ipſe Elagabalus ſubjicitur. Sic enim in catalogo Sylburgii.

Αντωνῖνος Καράκαλλος ζ.
Αντωνῖνος ἄλλος δ.

In faſtis vero Dodwelli, qui habentur in appendice ad Diſſertationes Cyprianicas pag. 25. tributis Severo, ut idem Dodwellus obſervat, annis etiam Caracallae, ſic legitur.

Σεβήρȣ κε.
Αντωνίνου δ.

Et in aliis faſtis ejuſdem Dodwelli pag. 31., qui ante Elagabalum mutili ſunt, haec habentur.

Μετα τὴν βασιλειαν
Αντωνινȣ.
Αντωνινος το δ.

Dodwellus equidem, in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas pag. 20. §. LI., ideo in iis faſtis omiſſum Macrinum exiſtimat, quod, quum id genus Principes, qui nec Rempub. haberent pacatam, nec Imperium ad heredes tranſmiſerint, nec diu etiam ipſi imperarint, praeeſſent, non ipſis, ſed eorum deceſſoribus eorum quoque tempora ſoleant, in iis imputari. At quidquid hac de re ſit, Oroſius certe lib. VII. cap. XVIII., licet Macrinum nequaquam praetereat, Elagabali tamen initium diſerte anno V. C. DCCCCLXX., quod rem plane noſtram juvat, confirmatque, conſtituit. *Anno*, inquit, *ab Urbe condita*, *NONGENTESIMO SEPTUAGESIMO Marcus Aurelius Antoninus* 20. *ab Auguſto Imperium adeptus tenuit annos quatuor*.

CA-

CAPUT VII.

Diluuntur difficultates, quae praejactum ſyſtema videntur evertere. TR. P. ſine nota numerali, non indicat primam Trib. Pot. Nummus Elagabali apud Mediobarbum ſignatus TR. P. II. COS. III. perperam deſcriptus. Inſcriptio Gruteriana in qua Elagabalus dicitur TR. P. IIII. COS. IIII. mendoſa. Refertur eadem Inſcriptio a Suareſio ſub nomine Septimii Severi. Agathias annum IV. Severi Alexandri copulat cum anno Seleucidarum Alexandreo DXXXVIII. Diverſitas inter prioris libri Macabaeorum, & libri poſterioris Scriptores, in annis deſignandis, quomodo ab eruditis concilietur.

NE quidquam noſtrae huic Diſſetationi, praeque jacto a nobis ſyſtemati deeſſe, videatur, nonnulla hic expendamus, neceſſe eſt, quae ſi minime explicata, noſtram prorſus conjecturam convellere, cenſeantur.

Primum itaque mihi ab erudito, amicoque Viro duo objecti fuere aurei nummi Elagabali apud Occonem, in quibus is dicitur. P. M. TR. P. COS. II. Ex his patet,

patet, ajebat, Elagabalum, quum Kalendis Januariis anni V. C. DCCCCLXXII. Conſulatum ſecundum iniit, nonniſi unum annum Tribunitiae pot. numeraſſe, quum id plane demonſtret TR. P. ſine nota numerali in nummis ſignata; juxta autem praedictam ſententiam duos annos Tr. Pot. tunc temporis, Elagabalus numerare debuiſſet. Duobus iis nummis alios tres itidem aureos ipſe oppoſui, apud eundem Occonem inſcriptos: P. M. TR. P. COS. III. Quum Elagabalus Kalendis Januariis anni V. C. DCCCCLXXIII. Conſul tertium proceſſit, non unum dumtaxat Tribun. Pot. annum numerabat, ſunt etenim plurimi ejuſdem Elagabali nummi apud Occonem, & Mediobarbum notati: P. M. TR. P. II. COS. II., & tamen iis in nummis Tribunitia Pot. abſolute, ac ſi nota numerali adjecta, effertur.

Scio equidem, Clariſſ. Scriptores ejus ſententiae fuiſſe, ut cum Tribunitia Pot. ſine nota numerali enunciatur, primam Trib. Pot. ſignificari, cenſuerit, eoque paſſim, tum pro ſuis ſtabiliendis, tum pro aliorum confutandis opinionibus, argumento uſos eſſe. Inter hos Clariſſ. Perarlonius in Annal. Cyprian. pag. 33., & 34., ubi ex nummis Galli inſcriptis P. M. TR. P. COS. II., & ex nummis Voluſiani, in quibus: P. M. TR. P. COS., infert Gallum primo imperii anno ſecundum Conſulatum geſſiſſe, & Voluſianum primo pariter imperii anno primum Conſulatum: idemque argumentum repetit pag. 43. num. VIII. Joannes etiam Vignoli Vir Cl. in eleganti, & erudita Diſſertatione, De Columna Antonini Pii cap. IV. pag. 57., eodem principio niti, videtur, probaturus, annum aerae Chriſtianae 138., quo Antoninus Pius Tribunitiam Poteſtatem primam ſuſcepit,

pri-

primum quoque ejus Imperii fuiſſe, quod nimirum, *praeter laudatum*, inquit, *a ſapientiſſimo Noriſio in epiſtola Conſulari nummum Mediceum, in quo cum Tribunitia Poteſtate prima Antoninus Auguſtus inſcribitur; alii ſane plurimi paſſim occurrunt apud Occonem, & Mediobarbum, ceteroſque rei nummariae ſcriptores, qui hoc idem facile declarant*. Obſervo obiter, Noriſium in nummo, ſeu nummis Mediceis, quos in eam rem laudat in epiſtola Conſulari pag. 85., nil prorſus de Tribunitia Poteſtate prima meminiſſe, ſed ex eo ſolum, quo in iis legatur: ANTONINUS PIUS AUG. COS. DES. II., non vero ratione Tribunitiae Poteſtatis primae, eum luculenter demonſtraſſe, Antoninum Pium eo anno 138. titulum Auguſti vere accepiſſe, quum anno 139. fuerit reapſe Conſul II., quo argumento poſtea utitur ipſe etiam Vignolius pag. 59. Ceterum quam falſum ſit, Tribunitiam Poteſtatem ſine nota numerali obſignatam primam tantummodo Tribunitiam Poteſtatem indicare, manifeſto apparet non ſolum ex ſupra memoratis Elagabali ~~nummis, in quibus TR. P.~~ abſolute cum III. ejus Conſulatu copulatur, verum e numiſmate etiam Antonini Pii ab eodem Clariſſ. Vignoli cap. III. pag. 38. exhibito, aliiſque plurimis, apud Occonem, & Mediobarbum, in quibus is Imperator dicitur TR. P. COS. III., imo aliis non paucis ejuſdem Antonini, apud eoſdem Scriptores, in quibus: TR. P. COS. IIII., quum nemo propterea dixerit, Antoninum Pium anno Ch. CXL. quo Conſulatum tertium, & anno CXLV. quo Conſulatum quartum ſuſcepit, Tribunitiam dumtaxat Pot. primam numeraſſe. Pagius etiam ad annum Ch. 252. num. II. eundem Pearſonii errorem rejicit, producto

ducto Severi nummo apud Mediobarbum in quo legitur: TR. P. COS. II. P. P. S. C., qui certe nummus non initio ejus imperii percuſſus cenſendus eſt, quum Conſulatum tertium Severus nonniſi decimo imperii anno capeſſierit. At alia quoque bene multa Imperatorum numiſmata poſſent, in eandem hanc rem, recitari.

Priori itaque hoc dubio, nullo pene negocio, ſubmoto, alia nobis offert ſeſe, eaque non exigui momenti, difficultas perpendenda. Mediobarbus, pag. 312. ad A. V. C. 973. Chriſti 220., recitat ex Angelono nummum Elagabali inſcriptum: P. M. TR. P. II. COS. III LIBERAL. AUG. S. C. Viſitur in eo Imperator in ſubſtructione ſedens, prope eum figura muliebris dextra teſſeram, ſiniſtra Cornucopiae, alia figura ſcalas aſcendit. Hic nummus, ſi vera illa inſcriptio, noſtrum plane ſyſtema evertit. Elagabalus enim Conſulatum tertium geſſit anno V. C. DCCCCLXXIII., quare ſi ejus anni initio Tribunitiam Poteſtatem II. dumtaxat numerabat, probe conſtat, illum Tribunitiae Poteſtatis exordium haud quaquam ab anno V. C. DCCCCLXX. deduxiſſe, alias enim legendum in eo nummo ſaltem fuiſſet: TR. P. III. COS. III. Ut certior fierem, num reipſa illo nummo ea epigraphe exhiberetur, Angelonum, e quo Mediobarbus eum retulerat, adii. Ejus ectypum, in tabula num. 3., primum inſpexi, illumque revera allatae a Mediobarbo deſcriptioni, & inſcriptioni conſonum eſſe, deprehendi. Perlegi poſtea ejuſdem, in quos ipſe exhibet nummos, commentationes, ibique illum vidi, haud legere in eo nummo TR. POT. II. COS. III., ſed TR. P. II. COS. II., quae epigraphe

nullo

nullo pacto noſtro ſyſtemati adverſatur. *Appreſſo di me ſi trova* (ait ipſe Angelonus pag. 220. ex poſteriori editione num. 3.) *la memoria della Liberalità ſeconda in medaglia con teſta, e lettere deſcritte, e l' Imperatore ſedente ſopra di un palco con la Dea Liberalità appreſſo, & uno del Popolo, che per alcuni gradi ſi conduce, a prendere cotal donativo, leggendoviſi:* P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. LIBERAL. AVG. S. C. *in altro LIBER. AVG. II.* Scrupulus adhuc mihi ſupererat, num eo loco error fortaſſis ſubeſſet, haerebamque, quem oſcitantiae incuſarem, Typographum ne, an Chalcographum. Verum vel hoc tandem dubio exemptus ſum, tum quod apud Vaillantium in numm. aur. & arg. pag. 286. nummum inveni eodem typo, eademque inſcriptione ſignatum, quem is antiquarius ſic effert: LIB. AVG. P. M. TR. P. II. COS. II. *Imperator ſedet in ſubſtructione cum Liberalitate ſtante, icuncula ſcalam aſcendit;* tum etiam, quia ipſe Angelonus, alium nummum cum eadem epigraphe ſe retinere, fatetur, in quo LIBER. AVG. II., ſunt autem nummi Liberalitatis II. Elagabali, unus apud Occonem, & duo apud Vaillantium, alius nempe in numm. aer., & alius in numm. aur., & arg., in quibus legitur: P. M. TR. P. II. COS. II., non vero: TR. P. II. COS. III.; tum denique, quia ſi dicti nummi Liberalitatis II. exprimunt tantum COS. II., manifeſto conſequitur, nummos Liberalitatis primae, cujuſmodi eſt ab Angelono exhibitus, praeferre non poſſe COS. III.

Difficilem aliam, quae noſtrae reluctatur ſententiae, antiqui Lapidis Inſcriptionem reperio in Theſauro Gruteriano pag. CLXIII. num. 8., eaque ſic habet.

Ardeae.

IMP. CAES. M. AVR
ANTONINVS
PIVS . FELIX . AVG
PONTIF. MAX. GERM. MAX.
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V
COS. IV. PROQ. COS. P. P. ET
M. AVRELIVS
ALEXANDER
GERM. MAX. DACICVS. MAX
PRINCEPS . JVVENTVTIS
LITVS . VICINVM . VIAE . SEVERIANAE
ASSIDVIS . MARIS . ADLVENTIS
FLVCTIBVS . AD . LABEM . RVINAE
LABEFACTATVM . AGGERIBVS
MARINI . OPERIS . A . FVNDAMENTIS
VT . PERICVLVM . COMMEANTIBVS
ABESSET . EXTRVI . CVRARVNT

Si vera haec etiam, & minime adulterina Inſcriptio, falſum noſtrum ſyſtema fatendum eſt. Si enim Elagabalus, quum Kalendis Januariis anni V. C. DCCCCLXXV. Conſulatum quartum ſuſcepit, Tribunitiam Poteſtatem quater dumtaxat inſtauraverat, illam proculdubio nonniſi anno V. C. DCCCCLXXI. inchoaſſe dicendus eſt. At plura ſunt, quae aut mendoſam, aut omnino adulterinam, mihi quidem, ejuſmodi Lapidis inſcriptionem demonſtrant. Nulla hactenus viſa numiſmata ſunt, quae Elagabalo eum titulum Germanici Maximi, & Imperatoris V. adtribuant. Nullus Scriptor praeterea eſt, qui, illum eximiam aliquam de Ger-

Germanis Victoriam, aut per ſe, aut per ſuos legatos, tuliſſe, nos doceat, qua ſibi eundem Germanici Maximi titulum promereri, potuerit. Qua vero ratione Imperator ille V. dicendus? Quinque ne Victorias retulit, ob quas Imperatoris titulo quinquies augeri debuerit? Si pugnam cum Macrino anno V. C. DCCCCLXXI. prope Antiochiam habitam excipiamus, nullum bellum is geſſit, nil ſtrenue egit; imo poſtquam Romam advenit, nonniſi foediſſimo otio, turpiſſimaque libidine, veluti alterum Sardanapelum (quo etiam nomine vocat illum Dio) emarcuiſſe, veteres omnes Scriptores teſtantur. Alexander vero, cur etiam Germanici Maximi, & praeterea Dacici Maximi titulo inſignitus? Nullum nec ipſe, neque Dacis, neque Germanis, quum adhuc purus putus Caeſar, Dacis vero nec quum Auguſtus, praelium intulit. Lampridius acclamationes recenſens, quibus illum Senatus rogarat, ut Antonini nomen ſuſciperet, eum quidem acclamaſſe cap. IX. refert: *Viciſti vitia, viciſti crimina, viciſti dedecora. Antonini nomen ornaviſti &c.* nuſquam vero: *Viciſti Germanos, viciſti Dacos.* Idem Alexander, quum, poſt repudiatum Antonini nomen, a Senatu urgereretur, ut Magni praenomen ſuſciperet, ſic apud eundem Lampridium cap. XI. reſpondit: *Facilius fuit P. C. ut Antoninorum nomen acciperem: aliquod enim, vel affinitati deferrem, vel conſortio nominis imperialis. Magni vero nomen cur accipitur? Quid enim jam magnum feci?* Poſtquam vero, e bello Perſico is rediiſſet, acclamavit idem Senatus, cap. LVI.: *Alexander Auguſte Dii te ſervent. Perſice Maxime Dii te ſervent. Vere Parthicus vere Perſicus. Tropaea tua, & nos videmus, victorias & nos videmus &c.*, nunquam autem acclamavit: *Vere Germanicus,*

 vere

vere Dacicus. Obſervo praeterea, quod quamvis ex una parte Alexandro in ea inſcriptione Germanici Maximi, & Dacici Maximi tituli, qui nulla ratione ei congruebant, adtribuantur, omittitur tamen ex alia parte Conſulis titulus, qui revera ei debebatur, quum Elagabalus Conſulatum quartum anno V. C. DCCCCLXXV. una cum ipſo Alexandro inierit. Haec non pauca ſunt, quae, mea quidem ſententia, eum Lapidem νοθείας manifeſto damnat, ac ab venerandis antiquitatis monumentis plane ablegandum demonſtrant.

Verum, quum haec ſcripſiſſem, incidi in Illuſtriſſ. Suareſii Apparatum Hiſtoricum ad explicationem Arcus Septimii Severi, inter Veteres Arcus Auguſtorum, a Jo. Petro Bellorio illuſtratos, pag. 16. inſertum, ibidemque illam ipſam Inſcriptionem pag. 19. VII. inveni, non quidem ſub Antonini Elagabali, & Alexandri Severi nominibus recitatam, ſed ſub nominibus Septimii Severi, & Caracallae. En illam, ut apud ipſum Clariſſ. Praeſulem, ex quo Sponius etiam, ut poſtea animadverti, eandem in Miſcellan eruditae Antiquit. pag. 27. 6. praedicto modo recenſuit.

Ardeae.

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS . PERTINAX .
PIUS . FELIX . AUG.
PONT. MAX. GERM. MAX. TRIB. POT. IIII.
IMP. V. COS. PROCOS. PP.
ET . M. AURELIUS . ANTONINUS . PIUS .
GERM. MAX.
DAC. MAX. PRINCEPS . JUVENTUTIS.
LITUS. VICINUM. VIAE. SEVERIANAE. *&c. ut ſupra*.

Nil

Nil ſane optatius, hac in re, nobis poterat, ea inſcriptione contingere.

Supereſt tandem, ut alteram difficultatem ſolvamus, quae ex Agathia lib. IV. de bello Gothico cap. XI., non quidem contra a nobis propoſitam opinionem, ſed contra Dionis, communemque Chronologorum, de tempore necis Elagabali, ſententiam, cui nos ſubſcribendum contendimus, erui poteſt. *Annis octo, & triginta* (ait is Scriptor) *ad quingentos poſt Magni Alexandri Macedonis principatum, quaternis poſt alterius Alexandri Mammaei, Artaxerſes Perſarum ſuſcepit imperium*. Hic, ut patet, Agathias loquens de tempore, quo Artaxerſes novum Perſarum Imperium auſpicatus eſt, annum quartum imperii Alexandri Severi anno Seleucidarum Alexandreo quingenteſimo trigeſimo octavo copulat. Extra autem omnem aleam eſt, Aerae Seleucidarum initium ab Autumno anni V. C. CCCCXLII. eſſe repetendum; quare annus ille praedictae aerae DXXXVIII. inchoarit, neceſſe eſt, Autumno anni V. C. DCCCCLXXIX. Jam vero, ſi Elagabali necem, & Alexandri Severi initium menſe Martio anni V. C. DCCCCLXXV. ſtatuamus, plane conſequitur, ut laudati anni Seleucidarum DXXXVIII. exordium conferendum haudquaquam ſit cum anno quarto Alexandri, ſed potius cum quinto: quartus etenim annus Alexandri menſe Martio anni V. C. DCCCCLXXIX. exactus fuiſſet, & inchoaſſet jam quintus. Rejicienda itaque eſt mors Elagabali, ſimulque Alexandri primordium in menſem Septembrem anni V. C. DCCCCLXXV., quo fiet, ut menſe pariter Septembri anni V. C. DCCCCLXXIX. recte potuerit inchoare annus Seleucidarum DXXXVIII., quum nondum quartum annum

num imperii Alexander expleviſſet. Hoc argumentum non id profecto eſſe, putem, quod iis, quae cap. II., & III., pro Dionis ſententia adſtruenda, late protulimus, valeat, opponi. Quis enim, ut cetera omittam, Agathiam hac in re cum Dione, & Lampridio contulerit? Dio etenim quae ſuo tempore geſta, quaeque ſuis oculis viderat, enarraſſe ſe profitetur; Lampridius Senatus acclamationes, quibus Alexandro Antonini, & Magni nomen oblatum, a ſe recitatas, ex Actis Urbis ſe depromſiſſe, teſtatur: Agathias vero, nonniſi poſt tria, atque amplius ab Elagabali, ac Alexandri imperio ſaecula, ſuas de bello Gothico hiſtorias concinnavit; unde non mirum, ſi non tam exacte annos imperii Alexandri cum anno Seleucidarum, quo novum Perſarum imperium coepit, copularit, ſexque illos circiter menſes quinti anni Alexandri jam inchoati neglexerit. Si vero neque Agathiam velimus reſpuere, non incommode eum cum Dione, & Lampridio etiam conciliabimus, ſi animadvertamus, Perſas fortaſſis tunc temporis, quemadmodum de Arabibus, & Damaſcenis teſtatur Simplicius in lib. v. Phiſicorum Ariſtotelis, annos ſuos ineunte vere inchoaſſe, quamvis ceteroquin, pro contractibus, publiciſque id genus monumentis, Aera Seleucidarum, quae annos ab Autumno putabat, uterentur; quare fieri potuit, ut Agathias Natalem Imperii Perſarum conſignaturus, initium anni Seleucidarum DXXXVIII. cum initio anni populari eorundem Perſarum confuderit, ſicque ſex circiter menſes dictum annum Seleucidarum anteverterit. Perſpicuum exemplum habemus apud Scriptorem lib. I. Machab., qui, licet in annis deſignandis epocha Seleucidarum, quam Judaei etiam, poſtquam Graecorum

corum jugum ſubjere, uſurparunt, aeramque Contractuum vocitabant, uteretur, eos tamen annos non ab Autumno, ſeu a menſe Tiſri auſpicatur, ſed a Neomenia Niſan menſis verni, a quo Hebraei annos ſuos legales computabant. Hac una ſiquidem ratione idem Scriptor prioris libri Machab. in concordiam cum altero poſterioris libri Scriptore pluribus in locis ab eruditis Viris adducitur, quod prior nempe annos Seleucidarum inchoat a menſe Niſan, alter vero a Neomenia Tiſri menſis ſeptimi. Sic Antiochus Eupator, ut quodpiam exemplum afferam, lib. I. Machab. cap. VI. adverſus Judaeos veniſſe legitur *anno centeſimo quinquageſimo*, in II. vero lib. initio cap. XIII. id factum dicitur *anno centeſimo quadrageſimo nono*. Prior ſiquidem Scriptor bellum illud aeſtate geſtum ideo anno Seleucidarum CL., & alter anno CIL. addicunt, quod ille eum annum exorſus ſit, juxta popularem putationem, a Neomenia Niſan, iſte vero a Tiſri. At non is eſt Agathias, quem tam religioſe cum Dione, & Lampridio conciliemus.

Ex hactenus dictis, haud leviter fultum, meo quidem judicio, apparet propoſitum a nobis ſyſtema, pro annis imperii Elagabali ſtabiliendis, nummiſque, tum illius TR. P. V. ſignatis, tum Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae ejus uxorum L. E. *anno V.* inſcriptis, explicandis. Plura etenim ſunt, ut cap. praecedenti oſtendimus, quae illud ſuadent, confirmantque: nulla vero, ut poſtremo hocce capite viſum, quae ab illo nos hactenus avocent, removeantque. Haec qualia ſunt cunque aequiſſimus Lector perpendat, judicetque. Quae ſi fortaſſis arriſerint, id mihi eo jucundius erit, quod, aliud agens, nimirum de nequiſſi-

quiſſimi Imperatoris annis ediſſerens, Sanctiſſimis quoque, invictiſque Eccleſiae Martyribus, PONTIANO, ET HIPPOLYTO ſatis proſpexerim; ſin vero minus, Συγγνώμη πρωτοπείρῳ.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A

ABbatia Florentina. Ejus Codex MS. Hiſtoriae Auguſtae pag. 25. 73.

Alexander. Severus. quo die Antonini, & Magni nomen illi oblatum. 16. quo die nuncupatus Imperator. 19. quot annos regnavit. 31.

AN. in nummis Viminacii non ſignificat annos a deducta Colonia 41.

Annia Fauſtina tertia uxor Elagabali 49. Ejus nummi L. E. ſignati conciliantur cum annis imperii Elagabali 106. Nummus ejuſdem e Muſeo P. Chamillardi adulterinus 74.

Aquilia Severa ſecunda uxor Elagabali 48. Ejus nummi L. E. notati conciliantur cum annis imperii Elagabali 106.

A Turre. Philippus. Expenduntur ejus exempla in confirmationem ſententiae Pagii, pro explicandis nummis Elagabali TR. P. V. notatis 61. rejicitur ejuſdem opinio, de nummis Anniae Fauſtinae poſt mortem Elagabali percuſſis. 68.

B

Bacchini. Benedictus. 2.

Balbinus, & Pupienus quo tempore interfecti. 39.

Bianchi. Sebaſtianus. 37.

Bonarota. Philippus. ejus opinio de die natali Severi Alexandri 20. Sententia ejuſdem de notis S.C. in nummis ſcalptis. 38.

C

Canon Paſchalis S. Hippolyti. 5. 30.

Caracalla quo die interfectus. 16.

Chamillardus. Ejus nummus Anniae Fauſtinae cum Epocha Raphaneotarum adulterinus. 74.

Cornelia Paula prior uxor Elagabali. 48. Ejus nummus L. Γ. ſignatus 120.

D

Dionis ſententia de annis imperii Elagabali 4. Eadem probatur 13.

Dodwellus perperam S. Hippolyti Portuenſis Epiſcopi Martyrium impugnat. 46. Initium Maximini, & Gordiani Africani minus recte conſignat. 47.

E

Elagabalus quot annos regnavit 14. 29. & alibi. quo die imperio potitus 16. quo die interfectus *ibid.* quo die in Phoenicia a militibus accla-

Q matus

matus Imperator. 52. Ejus nummi TR. P. V. notati 7. 93. Quomodo ii nummi cum annis ejus imperii conciliandi. 97.
Eutropius cum Dione conciliatur quoad annos imperii Elagabali. 14.

G

Gordianus Africanus quo anno nuncupatus Imperator. 34.
Gordianus III. an ſimul cum Philippo aliquod tempus regnarit. 41.
Gruteri Inſcriptio mendoſa. 114.

H

Herodianus cum Dione conciliatur quoad annos imperii Elagabali. 107.
S. Hippolytus. Ejus Canon Paſchalis. 5. 30.
S. Hippolytus presbyter ſimul cum S. Pontiano Papa in Sardiniam relegatus. 45.
S. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus quo die paſſus. 46.

I

Juſtinus junior quo anno ſucceſſit Juſtiniano 63. quo anno Conſulatum iniit *ibid.* Conſulatum pene abrogatum reſtituit, & perpetuum effecit. 63. annos ab eodem conſulatu non minus quam ab imperio numeravit. *ibid.* Explicatur locus Coripppi de primo ejus anno. 66.

L

Lampridius cum Dione conciliatur, quoad annos imperii Elagabali. 14. Expenditur ejus teſtimonium de die, quo Severo Alexandro Antonini, & Magni nomen oblatum. 16. idem forte depravatum, & quomodo corrigendum 22. alius ejuſdem locus ex Cod. MS. Abbatiae Florentinae emendatus 37.
Ludi Capitolini, variae opiniones de tempore quo celebrati. 59.

M

Macrinus quo die ab Elagabalo victus. 16.
Maffei. Paulus Alexander. 10.
Maximinus quo menſe regnare coepit. 31. Germanica ejus Victoria quo anno habita. *ibid.* quo anno a Senatu hoſtis declaratus 34. quot annos regnavit, 37. qua tempeſtate occiſus. 44.
Mediobarbi opinio de tempore necis Elagabali 9. eadem refellitur 29. ejuſdem opinio de initio Maximini confutatur. 31.

N

Noriſius. 44. 57. 87. 101. 111.
Nummus Elagabali apud Mediobarbum ſignatus TR. P. II. COS. III. perperam deſcriptus. 112.

Num-

Nummi ad Proceſſus Conſulares ſpectantes non eſt neceſſe, ut cuſi ſint initio anni, quo Cōſulatus ſuſcipiebatur. 55.

Nummi
- Alexandri 21.
- Anniae Fauſtinae. 95.
- Aquiliae Severae. 105. 95.
- Corneliae Paulae 102.
- Elagabali 94.
- Maximini 37.

P

Pagius. Antonius. refelluntur ejus obſervationes, pro concordia Dionis, & Lampridii, quoad diem natalem Severi Alexandri 17. Confutatur ejuſdem opinio, quod Gordianus III. ſimul cum Philippo aliquod tempus regnarit 41. Rejiciuntur ejus ſolutiones pro nummis Elagabali TR. P. V. notatis 51. 92. 96.

Patinus. Carolus. perperam notas Δ.E. in nummis interpretatur. 9.

Pontianus Papa, & Hippolytus presbyter primo anno Maximini paſſi. 45.

Pearſonius minus apte confutat obſervationem Petavii pro nummis Voluſiani TR. P. IIII. notatis 88. refellitur ejuſdem opinio, de TR. P. ſine nota numerali. 110.

Petavii opinio de tempore, quo obiti ludi Capitolini, 39. refellitur obſervatio ejuſdem pro nummis Voluſiani TR. P. IIII. notatis. 86.

Proceſſus Conſulares pluries per annum a Conſulibus obiti 57. a Juſtiniano ad ſex redacti *ibid.*

S

S.C. non ſignificat nummos Senatus auctoritate percuſſos. 38. quid ſignificet. *ibid.*

T

Theupolus. Joh. Dominicus. 94. 102. 105.

Tillemontius. Refellitur ejus conjectura, pro Dione, & Lampridio conciliandis, quoad diem natalem Severi Alexandri 23. ſolvitur ejus difficultas de nummo Maximini TR. P. IIII. & S.C. ſignato 33. rejicitur ejuſdem ſententia de nummis Elagabali TR. P. V. notatis.

Toinardus. Nicolaus. Ejus conjectura pro nummis in quibus plures anni, quam Imperatores regnarint, a Pagio relata, & rejecta 75. Conqueſtus ejuſdem, quod ea non omnino bene fuerit a Pagio relata, & minus appoſite confutata 79. Vera ejus obſervatio ex titulo libelli, quem pollicitus fuerat, exſculpta, & alia via confutata. 81.

TR.

TR. P. ſine nota numerali non indicat primam Trib. pot. 110.

V

Vaillantii opinio de tempore necis Elagabali 9. eadem refellitur 29. ejus opinio de initio Maximini confutatur. 31. rejicitur ejuſdem ſententia, quod notae AN. in nummis Viminacii ſignificent annos a deducta Colonia. 41.

PRAE CETERIS.

pag.	lin.	Errata haec	Corrige.
3.	20.	*regnaſſe tradit*	regnaſſe tradit
8.	1.	DCCCLXXV.	DCCCCLXXV.
25.	5.	FUTURIS	FUTURUS
31.	32.	aetatis	aeſtatis
32.	3.	*nomine*	*nemine*
41.	17.	quamadmodum	quemadmodum
	24.	diſignant	deſignant
47.	9.	*dele* quas	
57.	23.	IV.	VI.
58.	14.	*Κυνίγιον*	*Κυνήγιον*
61.	27.	Italiaca	Italica
64.	11.	adrem	ad rem
	12.	OTC.	OCT.
	29.	XXXV.	XXV.
98.	2.	nomine	nomina
105.	9.	Carcallae	Caracallae
109.	15.	Diſſetationi	Diſſertationi
110.	19.	cenſuerit	cenſuerint
		Perarſonius	Pearſonius
115.	10.	Sardanapelum	Sardanapalum
	22.	urgereretur	urgeretur

Digitized by Google

005662883